



# **Disputatio juridica de jure liberorum circa bona a praemortuo parente ad superstitem parentem devoluta**

<https://hdl.handle.net/1874/295258>

DISPUTATIO JURIDICA  
DE  
JURE LIBERORUM CIRCA BONA A  
PRÆMORTUO PARENTE AD SU-  
PERSTITEM PARENTEM  
DEVOLUTA.

QUAM  
ANNUENTE SUMMO NUMINE,  
*Ex Auctoritate* MAGNIFICI RECTORIS

**ALEXANDRIPETRINAHUYS,**

A. L. M. Phil. & Med. Doct. Medicinæ, Botanices,  
Chemiæ & Physiologiæ Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi* SENATUS ACADEMICI *consensu, et*  
*Nobilissimæ* FACULTATIS JURIDICÆ *decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus, ac  
Privilegiis rite ac legitime consequendis,

*Eruditorum Examini Submittit*

HUBERTUS ELIZA VAN MEERTEN,

GORINCHEMO BATAVUS.

---

*Ad diem II. Decembris MDCCLXXX. H. L. Q. S.*

---

TRAIECTI AD RHENUM,  
*Ex officina* ABRAHAMI VAN PADDENBURG,  
ACADEMIAE TYPOGRAPHI, MDCCLXXX.



DISPUTATIO JURIDICA

de

JURE LIBERORUM CIRCA BONA A  
PARENTIBUS AD SU-  
PERSTITUM PARENTEM  
DEVOLUTA.

de

ANNUNTIIS SCILICET NUMINE

Ex officio Magistratus Rectoris

ALEXANDRI PETRIANUS

A. L. M. P. R. G. O. M. A. G. I. S. T. R. A. T. I. S. B. O. N. A. E.  
C. O. M. M. U. N. I. T. A. T. I. S. C. I. V. I. T. A. T. I. S.

NEC NON

Summi Senatoris A. L. M. P. R. G. O. M. A. G. I. S. T. R. A. T. I. S. B. O. N. A. E.  
C. O. M. M. U. N. I. T. A. T. I. S. C. I. V. I. T. A. T. I. S.

P. R. O. C. E. L. S. U. D. O. C. T. O. R. A. T. U. S.

Graduatus in UTRIQUE JURE Honoribus, ac  
Litteris hinc ac inde honorandis.

Præfatus Rectoris Rectoris

RUBERTUS ELIXA VAN NEEFFEN

GOVERNORUM STATU

et in D. O. M. O. S. T. R. A. T. I. S. B. O. N. A. E. C. O. M. M. U. N. I. T. A. T. I. S. C. I. V. I. T. A. T. I. S.

TRAJECTI AD RHENUM  
EX OFFICIO ALEXANDRI VAN RADDENBURG  
ACADEMIAE TYPOGRAPHI, 1777.



V I R O  
CONSULTISSIMO GRAVISSIMO  
L A M B E R T O V A N M E E R T E N ,

CIVITATIS GORINCHEMENSIS SENATORI;  
PATRI OPTIMO, OMNI, QUO FILIUM DECET,  
AMORE, PIETATE, ATQUE OBSEQUIO AD  
ROGUM USQUE COLENDO.

V I R O S P E C T A T I S S I M O P L U R I M U M V E N E R A N D O  
L E O N A R D O V A N M E E R T E N ,

NUMINIS DIVINI IN ECCLESIA J. C., QUÆ EST IN PAGO  
KOUDEKERK, INTERPRETI FIDELISSIMO;  
PATRUO SUO CONJUNCTISSIMO, OMNI HONORIS, ET RE-  
VERENTIÆ CULTU GRATI ANIMI INDICE, DUM SPIRITUS  
HOS REGAT ARTUS, HONORANDO, COLENDO.

V I R O N O B I L I S S I M O A M P L I S S I M O  
J O H A N N I F R E D E R I C O V A N S T E E L A N T ,  
J. U. D.

ADVOCATO FISCO, ATQUE PROCURATORI GENERALI CU-  
RIÆ FEUDALIS BRABANTIÆ, NEC NON REGIONIS TRA-  
CTUS TRANS MOSAM; (*Vulgo het Land van Over Maaze.*)

AVUNCULO SUO EXOPTATISSIMO, OB INSIGNIA, QUI-  
BUS DE SE MERITUS EST, BENEFICIA, SINGULA-  
RIS GRATI ANIMI OBSEQUIO NUMQUAM  
NON COLENDO DILIGENDO.

*Has studiorum suorum  
primitias sacras facit*  
H. E. VAN MEERTEN,  
A U C T O R .



V. I. R. O.

CONSULTISSIMO GRAVISSIMO

L AMBERTO VAN MEERTEN

CIVITATIS GORINCHEMENSIS SENATORI

TATI OPTIMO, OMNI QUO PLURIM DEBET  
MAIORE, PRISTATE, ATQUE OBSEQUIO AD  
ROGUM USQUE COLENDO.

VIRO SPECTATISSIMO PLURIMUM VENERANDO

LEONARDO VAN MEERTEN

NUMING DIVINI IN ECCLESIA J. C. QUI EST IN PAGO  
KONDEBEEK, INTERRETI BRABANTIS

PARTE SUI CONIUNCTISSIMO, OMNI HONORIS ET RE  
VERENTIAE QUA TUO GREAT ANIMI INDEBET, NUMEROSIS  
HOS REGIT ARTUS, HONORANDO, COLENDO.

VIRO FOSILLISSIMO AMPLISSIMO

JOHANNI THEODORICO VAN STELLANT

J. U. D.

ADVOCATO REGII, ATQUE PROCURATORI GENERALI, QU  
RUM REUDALIS BRABANTIE, NEC NON REUDALIS TRA  
CTUS PRANS MOSAN: (Nisi in Actis non Gue. Hicet)

AVUNCULO SUI PROSTATISSIMO, QU INGENIIS, OR  
DES DE SE MERITUS EST, BRABANTIA, S. N. M. U. L.  
HIS GREAT ANIMI OBSEQIO NUMERAM  
NON COLENDO DILIGENDO.

Hic Theodorus Joannes  
H. VAN MEERTEN  
A. U. C. T. O. R.





## DISPUTATIO JURIDICA

DE

JURE LIBERORUM CIRCA BONA A  
PRÆMORTUO PARENTE AD SU-  
PERSTITEM PARENTEM  
DEVOLUTA.



## CAPUT PRIMUM.

§. I.



riorum nuptiarum vinculo, sive morte naturali,  
sive separatione conjugum justa ex causa facta,  
soluto, superstiti conjugum, aut legitime repu-  
diantialias nuptias contrahere licere; quis est,  
qui hodie dubitat? cum conjuges eo ipso in eum redigantur sta-

A

tum,



tum, quo erant ante contractum prius matrimonium: hanc in rem igitur validissime ἀπολογία affert *Apostolus PAULUS* in *Ep. ad Rom. C. 7. §. 2. & 3.* Sic inquit: „*Nam viro sub-*  
*jecta mulier viventi viro devincta est per legem, quod si mortuus*  
*fuerit vir, liberata est a lege viri: proinde vivente viro moecha*  
*vocabitur, si fiat alterius viri; sin autem mortuus fuerit vir ejus, liberata*  
*est a lege illa, ut non sit moecha, si fiat alterius viri.*” Quod absque omni dubio non tantum mulieris, sed etiam viri intuitu verum est.

§. II. Antiquitus tamen quasdam apud gentes reiteratas nuptias prioribus inferiores, & indigniores habitas fuisse, atque laudibus e contrario castitatem sive abstinentiam ab ulteriore conjugio fuisse accumulata, testantur *TACITUS de mor. Germ. C. 1. VALERIUS MAXIMUS Lib. 2. C. 1. §. 3.* referens: *puđicitiae corona decoratas fuisse matronas secundis nuptiis abstinentes, ratione adjecta, quod multorum matrimoniorum experientia legitimae cujusdam intemperantiae signum haberetur.* Similiter refert *CORASIUS Miscell. Lib. 3. C. 1. No. 2. de Portia minore Catonis filia, cum forte fortuna laudaretur mulier quaedam, quae iterum nupserat: tacite, inquit, nam neque felix neque bene morata, aut pudica esse potest foemina, quae secundo nubit.*

Sed nemini modo attente in ejus rei rationem inquirenti, hoc mirum videbitur, nam praeter alias gravissimam etiam religionis,



gionis, licet in erronea opinione fundatam veteribus intercessisse, ipsi apparebit: putabant enim post mortem adhuc obligationis quemdam nexum animis conjugum superstitem adhærere, unde VIRGILIUS *Æneid. Lib. 4. vers. 24.* Elisam ita loquentem inducit:

*Sed mihi vel tellus optem prius ima debiscat,  
Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras,  
Pallentes umbras Erebi, noctemque profundam,  
Ante pudor, quam te violo, aut tua jura resolvo.  
Ille meos, primus qui me sibi junxit, amores  
Abstulit: ille habeat secum, servetque sepulchro.*

Et quidquid Anna soror eam doceat ibidem *vers. 34.*

*Id cinerem aut manes credis curare sepultos.*

Hinc morem etiam illum quibusdam populis olim receptissimum manasse probabile est, quo uxores, cum maritos extinctos vidissent, eidem rogo, cui mariti, sese inferre non dubitabant; quemadmodum id variis variorum scriptorum testimoniis comprobatur; imprimis hoc familiare fuisse Wendis, Sclavorum seu



DISPUTATIO JURIDICA.

Thurigorum generi, auctor est VUNEFRID. *Angl. in Epist. ad Edoardum Regem*, ut & Catharis Indiæ genti DIOD. SIC. *Lib. 17.* nec non Tracibus vid. ÆLIAN. *Var. Hist. Lib. 7. C. 17.* & POMPON. MELA *Lib. 3. C. 2.*

Neque Ethnicis tantum hæretica hæc opinio de secundis nuptiis adhæsit, sed etiam quibusdam Christianis, inter quos fuere TERTULLIANUS in *Libro de Monogamia*, & HYERONIMUS *adversus Jovianum Lib. 1.* vid. WISSENBACH *ad ff. Disput. 45. Th. 1. § Auct. ibi all.*

Sed hæc ulterius prosequi nostri non est argumenti, qua propter, ut propius ad rem accedamus, statuimus, secundas nuptias esse honestas atque licitas omni jure, sive quærat de divino, vel naturali, sive de Civili tantum.

§. III. Quod ad jus divinum attinet, sententiam nostram non una ex sacra scriptura pagina confirmat. vid. præter *loc. supra laud. Ep. PAULI ad Corinth. 1. C. 7. §. 39. ad Timoth. 1. C. 5. §. 14. & MATH. C. 22. §. 35. seqq. & alibi.*

Jure naturali reiteratas nuptias licitas esse patet inde, quoniam 1<sup>o</sup>. nulla probabilis ratio excogitari potest, qua eodem regulis naturæ adversarentur. 2<sup>o</sup>. quoniam eodem jure & sine contrahi possunt, quo priores, quas certe juri naturæ admodum esse



esse consentaneas nemo inficias ibit, nullaque probatione indiget.

§. III. Sed jure civili num etiam secundæ nuptiæ sint licitæ, videamus. Hic autem observandum est, nomine fecundarum nuptiarum, aliquando designari in specie nuptias secundo loco contractas vid. *L. 4. C. de Sec. Nupt.* plerumque tamen sub ea denominatione in genere comprehendi, etiam nuptias tertio, vel ulteriori loco contractas. vid. *L. 8. §. 1. C. cod. & fere ubique in N. 2. & N. 22.* Tales Nuptias, sive sint secundæ in specie sic dictæ, sive posteriores, apud Romanos non tantum non fuisse improbatas, sed ad eas homines fuisse etiam invitatos ex historiis apparet. vid. *DION. HALIC. Lib. 56. in Aug.* hoc vel maxime manifestum evadit ex *Lege Julia & Papia*, ab Augusto primum lata *de maritandis ordinibus*, quæ poenas acerbissimas Coelibibus, orbis, & Viduis irrogante, cives ad matrimonia justa contrahenda adliciebantur, quæ tamen Lex postquam diu in Republica viguit, tandem a Constantino quod ad poenas fuit abrogata. vid. *Tit. C. de infirm. poen. coel.*

Sed præterea jus civile reiteratas nuptias non improbare, quoque maxime evidens est ex veterum Jurisconsultorum responsionibus, qui conditionem legato adjectam: *Si non nupsit*; aut: *Si vidua permanserit*; rejiciendam esse arbitrati sunt, tamquam li-



bertati matrimonii, legique Reipublicæ utili sobolis procreandæ causa latæ adversam. vid. *L. 54. L. 72. §. 4. L. 79. §. ult. ff. de cond. & dem.* & e contrario talem noluerunt remittendam esse conditionem adjectam: ut *Mæviam uxorem, quæ vidua est ducat Titius.* vid. *L. 71. §. 1. ff. eod.*

§. V. Attamen ex Jure Codicis, & Novellarum posteriori tempore secundas nuptias non adeo fuisse probatas, aliquis forte ex quibusdam enunciationibus, quæ hic illic nobis occurrunt judicare posset: restat itaque, ut paucis huic coeteroquin erroneæ opinioni obviam eamus.

Loca, unde tale quid elici posset, præsertim desumpta sunt ex *N. 22. C. 43.* ubi Justinianus ait: *binubam offendere deum, & defuncti animam contristare.* & ead. *N. C. 37.* ubi hæc verba exstant: *non sinit lex ad secundas nuptias venire invito priore marito, sed deinceps nuptias fornicationem judicat, & corruptionem.*

Ad priorem locum citatum quod attinet, ibi Justinianus non simpliciter ait *binubam offendere deum, si ad secundum torum convolaverit;* verum si hoc facit præstito jure jurando de non nubendo; corrigens hoc ipso Legem Juliam Miscellam, quatenus de jure jurando agit vid. GLOSS. in *d. N. l. 1. vers. deum simul.* Et cum Imperator ait: *defuncti animam contristare.*

magis



magis figurative, vel superstitiose quam religiose videtur locutus esse; non enim contristatur anima defuncti per iteratas nuptias, sed, ut præsens maritus ægre fert desiderium suum ab uxore vilipendi, ita quoque videtur præmortuus, si ejus extrema voluntas, quæ sancta esse debet. *L. 1. C. de S. S. Ecclæs.* negligitur: uxor enim eo in casu spernens viri de non nubendo conditionem, legatum nihilominus consequi nititur, quod tali modo ipsi relictum noluit defunctus.

Quod ad posteriorem locum attinet, sermo ibi fit de ancilla manumissa, quam dominus uxorem duxerat, atque huic in specie tantum non licere nuptias alias prioribus solutis contrahere *contra voluntatem prioris mariti*, & *patroni* Justinianus affirmat, si is modo ipsam uxorem habere velit. vid. *L. 1. C. de incestu nupt.* Lex autem, de qua ibi loquitur, est Lex Julia & Papia Conf. *L. 11. ff. de divort.*

Cæterum, si binubus conjux dicitur liberis novis nuptiis *injuriam inferre*. *N. 2. C. 1. eos exbonorare. N. 22. C. 25. Se iisdem funestare. L. 3. §. 1. C. de Sec. Nupt.*; concedimus quidem hæc parum honeste ita de secundis nuptiis prædicari, sed hæc ipsarum totam damnationem, aut rejectionem inferre negamus; etenim non alia mens Imperatorum fuisse videtur, nisi ut re bene perspecta indicent, feliciores forte fore viduos,  
vel



vel viduas, si in priori conjugio perdurarent, & non procreatam se-  
 bolem sequentibus matrimoniis forsitan contristarent; uti loquitur Ju-  
 stinianus in *N. 22. C. 20. §. 1.* & hoc quidem propter no-  
 tissima secundarum nuptiarum, odiique novercalis incommoda:  
 licet itaque hoc modo sensisse videantur posteriores Imperato-  
 res, tantum tamen absuit, ut eas damnaverint, & rejecerint,  
 ut ipse Justinianus viduas, quæ naturæ fervori resistere nequeant,  
 ad secunda vota adhortetur in *N. 2. Cap. 3. versu: sin autem  
 non valuerit.*

§. VI. Patet igitur secundas nuptias nec Jure Civili impro-  
 batas, sed licitas esse: Veruntamen ne iisdem liberi prioris ma-  
 trimonii ullo modo damnum sentire possent, aut læderentur;  
*immoderatas quippe atque intemperantes mulieres novis maritis non se-  
 lum res filiorum, sed etiam vitam addicere ait Constantinus in L.  
 22. Cod. de Admin. Tut. &: parentes plerumque maligne circa san-  
 guinem suum inferre judicium, novercalibus delinimentis instigatio-  
 nibusque corruptos, Testis est Gajus JCIus in L. 4. ff. de inoff.  
 Test. præcavêre sapientes legislatores Romani, & contra paren-  
 tes post annum luctus alias nuptias contrahentes prioris matri-  
 monii liberis nonnullis remediis prospectum esse voluerunt: quæ  
 tamen perperam & minus accurate a quibusdam interpretibus  
 vocantur poenæ secundarum nuptiarum; nam proprie loquendo sunt*

Bene-



*Beneficia vel legum Cautelæ* in gratiam liberorum prioris tori introductæ, ne parens ipsorum binubus secundi conjugis blanditiis delinitus, injuriam adversus eos facile inducat, aut ipsis noceat: atque porro ne possit superstes conjux secundo marito, aut alterius conjugii liberis relinquere ea bona, quæ a priore conjugè præmortuo, liberorumque anterioris matrimonii parente lucratus fuerit; quippe quum defunctus sobolem suam propriam magis amasse præsumatur, quam superstitis conjugis secundum conjugem, aut liberos ex eo susceptos, quos ne quidem novit.

§. VII. Beneficia hæc in gratiam liberorum introducta varia sunt, & recensentur præterquam alibi a Viro Clar. J. O. WESTENBERG. *in princ. suis ad Tit. ff. de Rit. Nupt. a §. 68. ad fin. & de iis fusius egit doct. VOET. ad eund. Tit. ff. a §. 101 ad fin.*

Ex hisce autem, ut progressuum meorum in jure specimen aliquod in lucem proferrem, elegi hanc partem, qua demonstratur, quibus modis liberis prospectum sit circa ea bona, quæ a parente suo præmortuo ad superstitem quovis lucrativo titulo fuere devoluta. Ut autem eo magis pateat, quatenus differat parens superstes, qui in viduitate permanserit, ab eo, qui secundas contraxerit nuptias, necessarium duxi, quædam præmittere de iis, quæ circa hæc bona locum habent, si parens secundas nuptias non contraxerit.

Quæ omnia utrum, uti decet, exsecutus fuerim, tibi B. L.



dijudicandum reliquo, sperans tamen fore, ut, si quædam minus recte dicta sunt, ea corrigas, si quædam desint, ea suppleas, & juveni non admodum in jure versato ignoscas: Hac itaque spe fretus statim materiam ipsam aggrediar.



## CAPUT SECUNDUM.

§. I. **U**t via & ratione hoc de argumento disputem, necessarium esse puto primum ostendere, quibus modis conjugii alteri ex alterius conjugis bonis lucrum obvenire possit. scilicet in *L. 3. C. de Sec. Nupt.* superstes ex bonis prædefuncti conjugis præsumitur lucrari posse quinque modis, nempe *sponsalium jure; nuptiarum solennitate; mortis causa donationibus; testamento,* & hoc modo quidem vel *jure institutionis, vel fideicommissi, aut legati titulo;* & denique *cujuslibet munificæ liberalitatis occasione:* nostrum igitur est indagere, utrum hæc revera ita sese habeant.

Quod attinet ad jus sponsalium, per hoc intelligimus donationem inter sponso factam, quæ differt a donatione, quæ hodie vocatur propter nuptias; si nempe quædam donata sunt invicem inter sponsum & sponsam mutuæ benevolentiae gratia, propter spem futuri matrimonii. quomodo ea differat a donatione

pro-



propter nuptias. vid. ap. PEREZIUM *ad Tit. C. de don. ante Nupt.* Hæc donatio jure subsistit; si modo res donatæ tradantur ante nuptias. vid. *L. 27. ff. de don. inter vir. & ux.* hinc est quod Jctus Ulpianus distinguit in *L. 5. pr. ff. eod.* in casu si sponsus sponsæ donaturus tradiderit Titio, ut is sponsæ daret, deinde post nuptias secutas Titius tradiderit; utrum donans Titium interposuerit, eumque has res tradere jufferit: & tunc non valere donationem putat; ratio hujus rei est, quia eo tempore, quo hæc traditio mulieri fit, non amplius censetur donatio sponsalitia, sed inter virum & uxorem, non quidem per se, sed per alium facta; quam prohibitam esse, ex multifariis ejusdem Tit. locis patet: an vero mulier Titium, cui traderentur res donatæ, interposuerit, & tunc donationem jam dudum perfectam, ideoque tamquam ante nuptias factam, haberi perhibet; id enim, quod procuratori meo traditur, ut ad me perveniat, id ipso jure in me transfertur. *L. 13. ff. de don.* Sed valet tamen etiam tamquam donatio sponsalitia talis, quæ facta est quidem post nuptias, sed eo tempore quo mulier nondum erat viripotens, id est ante annum 12um ætatis, quia tunc nuptiæ nondum subsistebant, ideoque inter sponfos facta intelligebatur. vid. *L. 65. L. 32. §. 27. ff. de don. inter vir & ux.*

Per lucrum quod conjugii obvenire posse dicitur per nuptia-



rum solennitatem intelligimus, quodcumque vir ex dote, mulier ex donatione propter nuptias lucretur. Hinc autem conjux lucrum percipere potest, pacto dotali; si scilicet pactum inter venerit de lucranda dote, aut donatione propter nuptias, sive in solidum, sive pro parte. *L. 12. pr. ff. de pact. dot. L. 48. ff. sol. matr. L. 6. § L. 9. C. de pact. conv.* sed necesse est pactum tale sit reciprocum, & æquale, tam ratione dotis, quam donationis propter nuptias; id est, ut utar verbis *all. L. 9. C. de pact. conv. quantam partem mulier stipuletur, sibi lucro cedere ex ante nuptias donatione, si priorem maritum mori contigerit, tantam § maritus ex dote partem stipuletur sibi, si constante matrimonio prior mulier in fata collapsa fuerit: quod si enim fuerit inæquale, & plus vir ex dote pactus fuerit, quam mulier ex donatione propter nuptias, vel contra; placuit Justiniano in L. 10. C. de pact. conv. ut major pars lucri nuptialis ad minorem reducatur, utque uterque conjux minorem quantitatem lucretur. Præterquam ex pacto dotali potest etiam lucrum obvenire alteri conjugi, si matrimonium divortio sit solutum, in casu scilicet si alter sine justa causa divertit, vel causam repudium mittendi dederit, vid. *L. 8. C. de Repud. & quando V. G. ob adulterium matrimonium fit solutum, vel simile quid; de quo vid. N. 117. C. 8. § 9.**

Mortis causa donationibus conjugem lucrari posse patet ex

*L.*



*L. 9. §. 2. ff. de don. inter vir. & ux.* quia in hoc tempus excurrit donationis eventus, quo vir & uxor esse desinunt. *L. 10. & L. 11. pr. §. 1. & seqq. ff. eod.*

Testamento conjugem conjugi relinquere posse tam institutionis, quam Legati vel fideicommissi titulo, vide sis in *L. 33. ff. sol. mat. L. 33. pr. & §. 1. ff. de Leg. 3<sup>o</sup>. & L. 2. C. de infirm. poen. Coelib.* neque tantum rerum proprietatem, sed etiam usumfructum partis bonorum *L. 43. ff. de Usufr.* add. PECKIUS *de Test. Conj. Lib. 1. C. 1.* Cum denique Imperatores in supra all. *L. 3. C. de Sec. Nupt.* omnes modos, quibus conjux superstes ex prædefuncti conjugis bonis, lucrum aliquod sentire posset, complectuntur generali hac definitione: *vel cujuslibet munificæ liberalitatis præmio:* eos etiam hic ob oculos habuisse existimo donationes inter vivos factas, quibus donatarius vel donataria locupletior factus deprehenditur, attamen tales, quæ jure sunt probatæ receptæque, ita enim ex Oratione Divi Severi valent omnes, quæ morte donatoris, vel donatricis sunt confirmatæ vid. *L. 32. §. 1. ff. de don. inter vir & ux. & L. 10. C. eod.*

His itaque præmissis videamus jam, quale jus in hæc bona, si prædictis modis conjugi superstiti quædam lucrari contigerit, vel ipse parens superstes habeat, vel post ejus mortem liberi parentis præmortui, a quo eadem profecta sunt,



§. II. Si Conjux superstes, matrimonio morte dissoluto, non secundam ducit uxorem, aut secundo nubit marito, quoniam erga liberos affectionem suam servare intelligitur. *L. 6. C. de Sec. Nupt.* Jure Codicis constitutum invenimus, superstiti licere omnia lucra, quæ ex facultatibus prædefuncti conjugis ad se pervenerunt, consumere, & pro lubitu quovis modo alienare, non tantum inter vivos, sed etiam testamento.

Inter vivos nempe venditione, permutatione, donatione, pignori datione, seu hypothecæ suppositione, aliove titulo alienationem continente. *L. 5. §. ult. L. 6. §. ult. L. 8. §. 1. C. de Sec. Nupt.* Testamento non solum, si ea specialiter alicui legaverit, vel per fideicommissum reliquerit, sed etiam si præter liberos aliquem generaliter hæredem sibi instituerit. *L. 8. §. 2. C. de Sec. Nupt.* nam & tum saltem pro portione hæreditaria hæc bona alienata intelliguntur, quum hæredis institutio alienationem contineat. vid. *L. 69. §. 3. ff. de Leg. 2º.* Ita ut etiam si omnia alienata essent, nullus liberis conquerendi locus relinqueretur, hi tamen si vel omnia, vel quædam ex iis exstarent, quæ a parente posterus defuncto consumpta, aut alienata, aut pignori hypothecæve supposita non erant, ea poterant vindicare, etiam si non adirent hæreditatem parentum. *d. L. 6. §. ult. d. L. 8. §. 1. C. de Sec. Nupt.* atque tum res a patre profectas, ut pa-  
ter-



ternas, a matre profectas ut maternas accipiebant *d. L. 5. §. ult. C. de Sec. Nupt.*

§. III. Sed hic paululum subsistamus: *liberos* inquam *hæc lucra vindicare posse, etiamsi non adirent hæreditatem parentum*: id est, instituti quidem hæredes, sed si hæreditatem repudiaverint, aut omiserint; atque eo casu si soli essent instituti hæredes, hæc lucra, quæ alienata non sunt, sibi in solidum vindicare possunt: quid itaque fiet, si cum liberis extraneus quispiam hæres a parente fuisset institutus? An liberi quoque tunc hæc lucra in solidum sibi vindicare poterunt? An vero tantum pro ea parte, quæ excedit portionem istius extranei hæredis? Quod posterius sine dubio verius videtur: possunt enim liberi tantum, quod exinde minime alienatum exstat, vindicare, atqui per illam institutionem extranei hæredis hæc lucra pro ea parte alienata censenda sunt, vid. quæ modo §. præced. monui: ergo pro sua portione, qua scil. instituti fuerant liberi, ea tantum sibi vindicare possunt.

Sed finge parentem posterius defunctum decessisse intestatum, ejusque liberos renunciare hujus hæreditati, ideoque alios defuncti cognatos, qui post liberos sunt proximi, hæredes huic defuncto existere ab intestato: an & tum parens dici poterit ista bona, quæ a conjuge præmortuo quæsiverat, alienasse eo ipso, quod



quod illa hæredibus suis ab intestato reliquerit? an vero tum ejus liberi contendere possunt, hæc bona non alienata esse, eaque quamvis hæreditatem hujus parentis posterius defuncti non acquisiverint, tamen sibi cedere debere? & hoc posterius sine dubio verum est: non enim in *d. L. 8. §. 2.* constituit Imperator, ut hæc bona etiam tum a parente superstite alienata censerentur, si forte hujus parentis hæreditas ab intestato obveniret aliis cognatis, præterquam liberis suis, quin Justinianus in *d. L. §. 1.* constituens, ut liberi, a quorum parente præmortuo hæc bona ad superstitem parentem pervenerant, eadem bona sibi possent vindicare, etiamsi hujus parentis hæreditatem non adirent, hoc ipso satis indicavit, hos liberos, quantum ad hæc bona attineret, præferendos esse iis, ad quos parentis posterius defuncti hæreditas ab ipsis repudiata pervenire posset.

§. III. Atque hæc hactenus quidem vidimus, quomodo liberi anterioris matrimonii in genere hæc lucra a parente suo prædefuncto ad superstitem devoluta, si eadem alienata non sunt, vindicare possint, sed videamus jam, quid juris sit? Si ex diversis nuptiis liberi supersunt: pone itaque hunc casum; aliquis ex nuptiis primis liberos habens, secundas nuptias contraxit: inde quoque liberis susceptis, huic secundo conjugii supervivit, & ab ipso quid lucratus est, neque tamen ad tertias pervenit nuptias, inte-  
statusque



statusque decessit: Possuntne liberi ex secundo hoc conjugio nati contendere hæc bona, quæ a suo parente præmortuo ad parentem posterius defunctum pervenerant sibi solis cedere debere, exclusis fratribus sororibusve ex priori conjugio natis? possuntne hi liberi contendere superstitem parentem hæc bona, quæ a suo præmortuo conjuge lucratus erat, non alienasse, neque inter vivos, neque per testamentum, hæredisve institutionem; quippe quum parens superstes intestatus decesserit? possuntne hi liberi contendere se solos, exclusis fratribus sororibusve ex anteriori matrimonio natis, hæc bona sibi vindicare posse, ideo quod Imperator liberos, a quorum parente præmortuo hæc bona ad superstitem pervenissent, in iisdem præferri voluerit aliis, qui huic parenti ab intestato succederent; eamque Imperatoris mentem inde apparere, quod in *d. L. 8. §. 1.* liberis, a quorum parente præmortuo hæc bona processissent, eadem hæc bona addixerit, etiamsi non essent hæredes parenti suo posterius defuncto, adeoque etiamsi ille parens alios ab intestato hæredes haberet? Omnino potuissent hi liberi, secundum ea quæ hic, & jam in *§. 1. h. C.* protuli, ita argumentari: sed Justinianus in hanc rem providit, & aliter iussisse videtur in *d. L. 8. §. 3.* dicens: quamvis modo liberis, quorum superstes parens ad alias secundasque nuptias non transierit, eam dederimus licentiam, ut sibi vindicare



care possent bona, quæ a parente suo præmortuo ad hunc superstitem parentem pervenisissent, etiamsi huic superstiti hæredes non forent; non tamen permittimus, ut liberi, post quorum parentis mortem superstes parens alter alias nuptias non contraxerit, etiam sibi solis vindicent bona, quæ a parente suo præmortuo pervenerint ad parentem superstitem, si hic parens superstes intestatus decesserit, & præter hos liberos, etiam ex anteriori matrimonio liberos reliquerit, & hi liberi ex isto matrimonio nati pro parte huic parenti posterius defuncto hæredes existant: sed ea bona tum non minus liberis ex priori matrimonio natis, quam illis liberis, a quorum parente præmortuo hæc bona processerunt, cedere debent. Atque hæc videtur esse Justiniani sententia in *d. §. 3.* Etenim, quamvis Imperator tantum utatur appellatione *secundi tori*, ipsum tamen hic intellexisse existimo in genere & nuptias secundo loco contrahendas, si ex priori matrimonio superessent liberi, tum etiam nuptias tertio, quin & ulteriori loco contrahendas, si modo ex præcedentibus nuptiis superessent liberi; nam & *nuptiæ tertiæ* dici possunt *secundæ*, respectu liberorum ex matrimonio secundo loco contracto natorum, sicuti & *nuptiæ quartæ* dici possunt *secundæ* respectu liberorum ex tertio toro natorum: atque hæc patere videntur ex versu. *d. §. 3. Si forte ex anteriore matrimonio morienti parenti filii*  
*sunt.*



*sunt.* Anterius enim matrimonium nuptiæ primæ vocari non possunt, nisi secundæ sint secutæ.

Male itaque, & plane confuse Vir Clar. J. CUJACIUS ad N. 22. p. m. 573. in fin. hanc *Sum* exponit; dum putat talem hic contineri casum, quo unum tantum fuit matrimonium, & ex eo liberi quidam parenti posteriori defuncto exstiterint hæredes, quidam hæreditatem repudiaverint; & contra aperta *d. Si. verba.* Imperatorem voluisse perhibet, eo casu illos solos, qui hæredes exstiterint, vindicare posse hæc lucra, quæ ab ipsorum parente prædefuncto ad superstitem pervenissent, iis autem, qui repudiaverint, hæc lucra adimi: cum *d. Sus.* manifesto indicet, facultatem hæc bona vindicandi iis adimi, qui hæreditatem acquisiverint ab intestato: sicuti recte hac parte videtur refelli a SCIPIONE GENTILI *de Sec. Nupt. C. 2.* cujus tamen sententia etiam valde est incommoda: cum CUJACIO enim quoque putat unum tantum fuisse matrimonium; sed præterea ex hac *§.* fingit, plures liberos a superstite parente, qui a conjugæ prædefuncto quid lucratus erat, tædasque non iteraverat, neque lucra hæc alienaverat, institutos fuisse hæredes, atque alios ex his filiis hæreditatem sibi testamento delatam repudiasse, sed eam ab intestato acquisivisse pro sua parte; alios vero eam ex testamento adiisse; atque tali casu putat, Justinianum illis solis,



qui hæreditatem adierint horum lucrorum vindicationem concessisse, & Imperatorem respexisse ad Edictum Prætoris, quo voluntates defunctorum tuetur, & hæredum calliditati occurrit, qui omiffa causa testamenti ab intestato hæreditatem, partemve ejus possident, ad hoc ut eos circumveniant, quibus quid ex judicio defuncti debere potuit, si non ab intestato possideretur hæreditas, quare quoque Prætor in eos actionem pollicetur. Sec. L. 1. pr. ff. si quis om. caus. test. Sed istud Prætoris Edictum in casu quem Justinianus tractat me judice usu venire non potest: nulla enim hic fit mentio de iis personis, in quarum damnum liberi causa testamenti omiffissent, & hæreditatem possiderent ab intestato, ut autem hoc in alterius fraudem, & necem factum fuerit, requirit Prætor imprimis in illo Edicto, uti ex all. L. 1. ff. si quis om. caus. test. patet.

§. V. Sententiam itaque Justiniani in d. L. 8. §. 3. uti in antecedentibus animadverti, eo redit, quod liberi ex secundo matrimonio nati, si ab intestato concurrunt ad hæreditatem communis parentis posterioris defuncti, non possint sibi solis vindicare ea lucra, quæ ab ipsorum parente prædefuncto ad superstitem pervenissent, & ab ipso alienata non essent, exclusis fratribus sororibusve anterioris matrimonii; sed quod ex utroque conjugio liberi æqualiter in ea bona succedere debeant. Hic autem observan-



servandum est Imperatorem, quando ita constituit, hæc quidem in genere statuere de omni lucro, quod quovis titulo lucrativo superstiti a præmortuo conjugè obvenit; sed generalem hanc regulam tamen exceptionem pati in eo, quod attinet ad lucrum nuptiale (a): etenim Imperatores Honorius & Theodosius in *L. 4. C. de Sec. Nupt.* constituerunt, ut, si ex utroque matrimonio tam primo, quam secundo liberi superfuerint, tum liberi ex secundo matrimonio nati, etiamsi ipsorum mater superstes ad tertias non migraverit nuptias, sibi solis vindicare possint in solidum sponsalitiæ largitatem, id est donationem propter nuptias, quam mater a secundo marito, adeoque liberorum istorum secundi tori parente lucrata esset; neque volunt hac in causa liberis anterioris matrimonii prodesse, quod superstes parens tertias non contraxerit nuptias: addunt enim Imperatores in fine. *d. L. 4. Nos enim hac lege id præcipue custodiendum esse decernimus, ut ex quocumque conjugio suscepti filii, patrum suorum sponsalitiæ retineant facultates.* Atque hanc ipsam constitutionem Justinianus laudat in *N. 22. C. 29. pr.* ubi eandem confirmat, & circa patrem

---

(a) Per lucrum nuptiale intelligo dotem, vel donationem propter nuptias, & quidquid conjuges ex illis lucrati sunt, ex dote scilicet si vir sit, ex donatione propter nuptias, si mulier sit superstes.



trem superstitem idem juris quoque locum habiturum esse statuit; ita scilicet, ut, si pater superstes fuerit, qui secundas nuptias contraxerit, & ex utroque conjugio liberis exstantibus ad tertia vota minime migraverit, tum secundi tori liberi dotem, aut quod ex ea pater lucratus esset, sibi solis vindicare possint. Cæterum, quod ad reliqua lucra, quæ sunt extra dotem, & donationem propter nuptias attinet, ea, quæ nos supra disseruimus, confirmare videtur in *d. N. C. cit. §. 1.* Atque hæc quidem dicta sufficiant de iis, quæ secundum Jus Codicis constituta invenimus circa lucra ad superstitem conjugem, qui secundas non contraxit nuptias, ex præmortui conjugis bonis devoluta.

§. VI. Justinianus tamen postea Novellis suis constitutionibus hoc Jus Codicis diversimode immutavit, sed tunc ante omnia nobis distinctio est adhibenda inter lucrum nuptiale, & talia bona, quæ superstiti conjugi alio titulo, puta donatione, aut testamento ex bonis præmortui conjugis obveniant: nam ad posteriora quod attinet, non huc ea, quæ Novellis sunt immutata, spectare existimo. Prior hujusmodi locus, qui nobis occurrit, ubi Justinianus Jus Codicis quodammodo immutavit, est in *N. 22. C. 20.* Sicuti ex *L. 8. C. de Sec. Nupt.* vidimus, licebat conjugi superstiti omnia, ea, quæ ex bonis conjugis præmortui perceperat, præterquam inter vivos  
alic.



alienare non tantum testamento specialiter, id est per legatum, vel fideicommissum; sed etiam generaliter, id est per institutionem hæredis, quicumque is fuerit: talem autem generalem alienationem per hæredis institutionem extranei testamento factam, quod attinet ad dotem & donationem propter nuptias, Imperator hac Novella parenti adimit, & tantum illam alienationem liberis præjudicare vult, quæ facta est specialiter & nominatim per legatum vel fideicommissum. vid. *d. N. C. 20. §. 1.* quare in *§. 2.* ejusdem Cap. talem ordinem formamque dat rei, ut, etiamsi parens de rebus suis per generalem hæredis institutionem disposuerit, non tamen ob id ipsum lucra hæc alienata censeantur, sive parens liberos instituerit hæredes ex parte cum extraneis, quo casu liberi hæc sibi præripere possunt: Sive solos liberos scripserit hæredes, sed ex inæqualibus partibus, & in eo casu, sicut & in cæteris omnibus ex æquo dividant, non autem pro portionibus hæreditariis: Sive denique omnes extraneos, Legatis V. G. liberis relictis, instituerit hæredes, & tum liberi hæc lucra præ cæteris vindicare poterunt. Atque ita vult, si parens ea non expresse, dum vixerit, alienaverit, aut moriens in alios specialiter transposuerit, præsumi hæc liberis potius servare, tamquam ex causa illorum sibi met acquisita, quam in extraneos deducere voluisse: & porro hæc filiis competere addit honore



nore præcipuo ex sua lege, licet non fiant heredes aut patris, aut matris, aut utriusque, vel quidam eorum fiant hæredes, alii vero repudiant. Hoc tamen requiritur, ut non propter ingritudinis causam a successione parentum liberi sint exclusi. vid. *d. N. 22. C. 20. §. 2. in fin. & C. seq. pr.* Hinc itaque patet hac in parte quodammodo, quod nempe attinet ad lucra nuptialia, derogari. *L. 8. §. 2. C. de Sec. Nupt.*

§. VII. Sed *Sec. N. 22. l. 1.* superstiti conjugi licebat adhuc lucra nuptialia alienare inter vivos, & testamento, si ea nominatim, id est per legatum vel fideicommissum alicui reliquerat; postea vero Justinianus *N. 98.* hanc etiam alienandi facultatem ipsi interdixit, & constituit, ut sive conjux ad secunda vota migraret, sive in viduitate maneret, tamen si vir sit dotem, si mulier donationem propter nuptias teneretur servare liberis quoad proprietatem, & tantum usumfructum horum lucrorum ei concessit: hoc autem non tantum locum obtinere vult in nuptiis morte solutis, sed etiam matrimonio quomodocumque soluto; sicuti & de hoc jam mentionem fecerat in *N. 22. C. 20. §. 1.* ubi jam ea, quæ ibi constituit locum habere vult, *Soluto matrimonio secundum omnes prædictas disjunctiones;* scilicet de quibus in prioribus istius Novellæ capitibus egerat: in iis autem edixerat de plerisque modis dissolvendi matrimonii, tam  
inter



inter vivos, quam morte. Neque cum CUJACIO ad N. 22. p. 574. putarem, ea, quæ ibi Justinianus constituit, locum tantum invenire in iis modis dissolvendi matrimonii, qui fiunt morte vel quasi morte, puta servitute, aut monachismo; sed ea Imperatorem etiam locum habere voluisse in matrimonio divortio soluto, nam hac de re quoque Justinianus in C. 15. & 16. eggerat; neque hic in C. 20. §. 1. verba: *Soluto igitur matrimonio secundum prædictas omnes disjunctiones*, ullam distinctionem involvunt; sive enim vocem διαζευξις vertas per vocem latinam *disjunctionem*, sive uti Holoander *divortium*, me judice nihil interest, quum pateat illam vocem spectare ad eas matrimonii dissolutiones omnes, de quibus in præcedentibus actum erat capitibus. Sed ad propositum revertamur! Per hanc itaque Novelam 98. abrogantur omnes leges, quæ conjugii superstiti liberam lucra nuptialia alienandi potestatem concesserant. vid. *Auth. Uxore mortua C. de Sec. Nupt.*

§. VII. Sed cum hoc indistincte, sive conjux in viduitate permaneret, sive ad secunda vota migraret, ita sanxisset, deinceps hoc ipsi visum fuit nimis iniquum, & putanti in viduitate perseverantes propter castitatem portione aliqua ultra eos, easve, qui quæve secundas contrahunt nuptias, dignos esse, in N. 127. C. pen. statuere placuit, ut superstes conjux præter



usufructum lucrorum nuptialium habeat etiam proprietatis tantum, quantum filiorum quantitas faciat, ita ut secundum proprietatis rationem unius & ipse ipsave filii personam obtinere videatur, & hoc valere voluit non tantum in conjugate superstitite patre & matre, sed etiam in extremo idem cavet de aliis adscendentibus, veluti avo, avia, & deinceps qui, quæve ad secundas non venerint nuptias. Atque ex hac Nov. desumpta est *Auth. si tamen C. de Sec. Nupt.* Hac itaque sua constitutione Justinianus restituit aliqua ex parte, quod Imperatores Leo & Anthemius in *L. 6. C. de Sec. Nupt.* sanxerant, & ipse antea a se prius *L. 8. C. eod.* confirmatum deinceps *N. 98.* immutaverat.



### CAPUT TERTIUM.

§. I. **E**x capite præcedenti patet conjugati in viduitate permanenti illicitum esse, præterquam dotem, aut donationem propter nuptias, omnia, quæ quovis lucrativo titulo ex bonis prædefuncti conjugis perceperat, quovis modo pro lubitu alienare; dotis vero vel donationis propter nuptias secundum Jus novissimum ipsi datam esse plenam proprietatem pro portione virili:

hoc



hoc igitur capite indagandum sequitur, quid juris sit circa hæc bona, si post annum luctus, liberis exstantibus, parens secundas nuptias contraxerit; supra enim *Cap. 1.* animadverti hac in causa contra parentem remediis quibusdam liberis esse consultum. Nimirum statim ex eo die, quo vir secundam ducit uxorem, vel mulier secundo nubit marito, amittit proprietatem omnium rerum, quæ ipsi obvenerunt sive *ex donatione sponsalitia*; sive *ex dote*, aut *donatione propter nuptias*; sive *mortis causa donationibus*; sive *ex testamento* vel titulo *institutionis*, vel *fideicommissi*, aut *legati*; sive denique *cujuslibet munificæ liberalitatis occasione*: atque hujus lucri tantum retinet sibi usumfructum. vid. *L. 3. pr. L. 5. pr. C. de Sec. Nupt. N. 22. C. 23.* Neque hoc tantum locum habet nuptiis prioribus morte solutis, sed etiam si occasione repudii alteri conjugi ex dote, aut donatione propter nuptias lucra accedunt. vid. *L. 9. §. 1. C. de Sec. Nupt.*

§. II. Ante omnia vero, ut rite procedam, num hoc modo liberis prospectum sit, tam ratione patris, quam matris, ostendam necesse est.

Olim tantummodo ratione matris hic favor pro liberis introductus reperitur. *L. 3. C. de Sec. Nupt.* nam suaserat quidem Theodosius Magnus in *L. 2. §. ult. C. Theod. de Sec. Nupt.* ut mares abstinerent secundis nuptiis, liberis exstantibus, velut



eadem subirent, quæ mulieres: sed quum suasio legis non sit conjuncta necessitati, quippe quum legis virtus sit *imperare, vetare, permittere, punire.* Sec. *Modestinum* § *Cum* in *L. 7. ff. de legib.* Legis vero nulla virtus sit in suadendo, tandem huic Theodosii Magni suasioni accessit generalis constitutio Theodosii Junioris, & Valentiniani in *L. 5. C. de Sec. Nupt.* qua statuunt, ut, quocumque casu constitutiones ante hanc legem mulierem ea, quæ de bonis mariti ad eam sunt devoluta, liberis communibus quoad proprietatem servare sanxerant, iisdem quoque casibus *maritus ea, quæ de bonis mulieris ad eum pervenisent, liberis communibus servare teneretur:* hodie itaque hac in parte eidem incommodo, cui mulier, etiam maritus subjacet. vid. *N. 2. C. 2.* ubi diserte inquit Imperator *contra binubos poenæ communes & viri sunt, & mulieris.* & *N. 22. C. 23.* & *hæc communis mulieris, & viri multa sit posita.* Atque hoc ita statutum videtur optimo jure, si enim quandoque aliquod forte detrimentum liberis ex fecundis nuptiis parentum expectandum sit, æquitas expostulat, ut simili modo iis huic incommodo tam ratione patris, quam matris, subveniatur.

§. III. Sive itaque pater sit superstes, sive mater, omnia quæ prædictis modis lucratus fuerit, liberis servare tenebitur; sed de his lucratis rebus requiritur, ut perceptæ sint *ex bonis prædefuncti*



*conjugis*, unde sequitur, ut neque mulier, quæ transit ad secundas nuptias, teneatur liberis prioris matrimonii servare dotem suam; quia dos non est a marito accepta, sed recepta tantum ab hæredibus mariti ad mulierem tamquam dominam rediit; est enim dos proprium mulieris patrimonium. *L. 3. § 5. ff. de minor.* fuit uxoris ab initio, & naturaliter in ejus permansit dominio. *L. 30. C. de Jure dot.* neque vir teneatur servare donationem propter nuptias, quam ipse dedit olim uxori; quia hæc donatio non fit mulieris, sed mansit ipsius mariti, & morte mulieris matrimonio dissoluto, redit ad maritum tamquam res sua, uti dos ad uxorem. *L. 18. C. de don. ante Nupt.* Neque his, quæ protuli, quidquam in contrarium facit. *L. 6. pr. C. de Sec. Nupt.* quæ prohibet virum, vel mulierem iterum nubentem secundo conjugii plus relinquere, vel in eum transferre ullo titulo, sive inter vivos, sive interveniente morte, quam uni ex liberis, cui minimum est relictum; unde consequens foret, ut etiam binubus parens teneretur aliqua ex parte dotem suam, vel donationem propter nuptias liberis servare: Nam hoc non semper procedit, sed demum in tali casu locum habere posset, cum forte conjux nihil reliqui in patrimonio haberet; si enim aliunde bona habet præter dotem, aut donationem propter nuptias, ut plerumque, (quippe quum raro omnia bona in dotem dentur a muliere, vel



in donationem propter nuptias a viro) minime cogitur, tunc enim ex iis, quæ aliunde habet, bonis liberis portionem virilem præstare poterit.

§. III. Sed quid juris sit? videamus, si mulier res, quas a marito ex causa sponsalitiæ largitatis acceperat, postea in dotem dederit, uti frequenter fieri solet. *L. 5. pr. C. de Sec. Nupt. L. 1. § 14. C. de don. ante Nupt.* Scilicet morte mulieris matrimonio dissoluto, si aliquid lucri ex tali dote obveniat viro, hoc, si tædas iterat, liberis esse servandum indicare videntur Imperatores Theodosius & Valentinianus in *L. 5. pr. C. de Sec. Nupt.* verbis: *Hoc observare præcipimus, licet res ante nuptias donatæ (ut adsolet fieri) in dotem a muliere redigantur.* Add. **CUJACIUS** ad hanc legem. Sed quum, si viro prius mori contigerit, res non adeo expedita sit, nostrum est hoc loco inquirere, num mulier talem dotem sibi habeat, ita ut non teneatur eandem liberis servare, etiamsi secundas contrahat nuptias? Scilicet h. Cap. §. 1. vidimus conjugem quoque, si tædas iterat, debere reservare liberis eas res, quæ ipsi *ex donatione inter sponsos facta* obvenerint; unde consequens esse puto, ut mulier in ea sit causa, ut quoad proprietatem etiam hæc bona, quatenus per talem donationem locupletior evaserit, liberis conservet, tamquam bona sponsalitia, utque liberi dominium horum nanciscantur,



cantur jure bonorum paternorum. Hac de re igitur diversum  
 quid adnotat *Vir Clar. J. CUFACIUS* ad d. L. 5. C. de Sec. Nupt.  
 ab iis, quæ tradit ad N. 22. p. m. 575. fere in fin. priori enim  
 loco putat liberos prioris tori nihil juris in illam dotem habere,  
 licet confecta sit ex donatione ante nuptias; posteriori autem  
 loco perhibet, *has res censerî sponsalium, bonorumve paternorum*  
*jure, ac proinde servari debere liberis.* Quibus calculum ob ea,  
 quæ modo attuli, adjicio. Sed, quominus ita statuam, quodam-  
 modo vetare videntur L. L. 1. & 14. C. de don. ante Nupt.  
 in quibus mater has res *tamquam dotem suam* repetere posse di-  
 citur; ac proinde per consequens non teneri illas liberis reservare;  
 quoniam dotem suam servare non tenetur. L. 18. C. de don.  
 ante Nupt. Sed hæc non evincere videntur ea, quæ afferui,  
 quippe quum hæc locum obtineant statim post prius matrimo-  
 nium solutum; tunc mulier non impeditur has res, tamquam  
 dotales, repetere ab hæredibus mariti, cum donatio hæc jure  
 constiterit, neque post mortem donatoris ad hæredes ejus re-  
 vertatur: quin hoc amplius irrevocabiliter habitura sit mulier,  
 non exstantibus liberis; si vero liberi exstant, & talis mulier  
 deinceps secundas contrahit nuptias, ex postfacto omnino hæc  
 lucra quoad proprietatem liberis servare tenebitur. Cæterum,  
 si superstes maritus aliquid lucri perceperit ex dote, aut mulier



ex donatione propter nuptias; non interest, utrum ipse conjux dotem, aut donationem propter nuptias dederit, an vero alius quis pro muliere dotem, pro marito donationem propter nuptias crediderit offerendam. *L. 5. pr. versu: Nec interest. C. de Sec. Nupt. N. 22. C. 23. fere in fin.*

§. V. Si dicimus requiri, ut, quæcumque conjux servare debet, hæc sint percepta ex bonis prædefuncti conjugis, nascitur & alia quæstio, quid scilicet statuendum sit? Si conjux superstes quædam, vel a consanguineis alterius conjugis, vel ab extraneo acceperat, occasione tamen, & contemplatione prædefuncti. Utrum hæc etiam liberis quoad proprietatem sint servanda, videamus: de hac re enim non convenit inter doctos interpretes, quos citat GOTHOFREDUS in adnot. ad *L. 3. C. de Sec. Nupt. & ad L. 9. C. de don. ante Nupt.* Contentundum quidam hoc lucrum etiam, tanquam a præmortuo conjuge profectum, liberis esse servandum: nonnullis nixi argumentis, quorum quædam allegata inveniuntur quoque apud VOET. ad *Tit. ff. de Rit. Nupt. §. 101.* Inquiunt: quod ex patris occasione est profectum, *profectitii* peculii nomen audit. *pr. L. per quas pers. cuique acquir.* Et dos, quam quis patri donaturus filiae ejus dedit, a patre profecta dicitur. *L. 5. §. 2. ff. de jure dot.* Atque pater arrogator filio impuberi arrogato

sub-



substituere potest, non solum in rebus a se ad impuberem devolutis; sed etiam in iis, quæ impuberi occasione seu beneficio patris arrogatoris quæsitæ sunt. *L. 10. §. 6. ff. de Vulg. & pup. subst.* & nonnulla alia, de quibus vid. *quæ adnot. GOTHOFR. ad L. 9. C. de don. ante Nupt.* Sed alii interpretes tale lucrum non tanquam ex bonis prædefuncti conjugis profectum, ideoque apud superstitem remanere arbitrantur: argumenta, quæ proferunt, hæc sunt: donatio a focro nurui facta, quæ, quum propter juris auctoritatem, & donantis voluntatem rata sit, non potest rescindi, *L. 9. C. de don. ante Nupt. L. 23. C. de don. inter vir. & uxor. marito non acquiritur, ut cui nulla facta sit promissio, nulla traditio. L. 20. C. de pact.* Similiter, si consanguinei mulieris sine ulla repetendæ lege quædam ejus sponso, vel marito donaverint, talis donatione tum quidem dissolvi posse dicitur, licet matrimonium divorcio sit solutum, in *L. 12. C. de don. ante Nupt.* Donatio quoque, quæ simpliciter ab extraneo contemplatione mariti in ejus uxorem collata est, non potest revocari, sed apud donatariam remanet, etiamsi causa cujus occasione donatio facta est, a marito non sit impleta. *l. 7. C. de cond. ob caus. dar.* Posteriorum interpretum itaque sententiæ, quia nobis verior videtur, subscribemus; patet enim donationem, quamvis contemplatione



alterius conjugis in alterum facta sit, valere, neque rescindi, neque revocari posse, sed apud donatarium, vel donatariam remanere id, quod donatum est, quod certe fieri non posset, si hæc res constante matrimonio donatæ ex conjugis prædefuncti bonis profecta viderentur, quoniam tum cæteroquin me iudice per consequens maritus, vel uxor sibi invicem per alium donasse censeferi posset, quod prohibitum esse patet ex *L. 3. §. 13. ff. de don. int. vir. & ux.*

Hæc igitur lucra non tamquam ex bonis prædefuncti conjugis profecta sunt habenda, sed irrevocabiliter donatario vel donatariæ acquisita; atque ideo non liberis esse servanda existimarem: præcipue quoniam scopus Legislatorum in remedio hoc introducendo, tantum constituisse videtur in eo, ut prioris matrimonii liberis succurrerent, ne cæteroquin per secundas nuptias parentis privarentur iis bonis, quæ reapse a suo parente prædefuncto profecta sunt, & superstiti acquisita: nam in *L. 3. pr. & in L. 5. pr. C. de Sec. Nupt.* præsertim exstant causæ, ex quibus lucra superstiti acquiri possunt, quæ sunt nimirum omnes tales causæ, quæ solummodo spectant ipsum conjugem præmortuum; atque ita Imperatores post varias causas enumeratas in *d. L. 3.* tandem ea, quæ liberis sunt servanda, generali definitione complectuntur, cum ajunt: *Vel cujuslibet munificæ liberali-*

*tatis*



*tatis premio fuerint adsecuta, & hic iterum addunt tanquam requisitum necessarium: ex bonis priorum maritorum.*

Verum quidem est, id, quod filius occasione patris acquirit, dici peculium *profecitium*; sed ratio, quæ hic subest, longe distat ab hac in nostro proposito; est nimirum *patria potestas*; hæc efficiebat, ut omnia ea, quæ olim filius acquirebat, patri acquireret. §. 1. *F. per quas pers. cuiq. acquir.* Similiter dos, quam quis patri donaturus ejus filiæ dedit, *profecitia* quidem dicitur. *L. 5. §. 2. ff. de Fur. dot.* sed hac in rem magis spectatur animus dantis, qui ideo dotem dat filiæ, ut patri donet, cujus cæteroquin officium est dotem dare pro sua filia. *L. ult. C. de dot. promiss.* si enim quis certam quantitatem dederit eo animo, ut filiæ donaret, *non esse profecitiam dotem* inquit idem Ulpianus Jctus Juliani sententiam probans in eadem *L. 5. §. 9. ff. de Fur. dot.* Argumentum denique, quod petunt dissentientes ex *L. 10. §. 6. ff. de vulg. & pup. subst.* non etiam refutatu videtur difficile: nam hoc loco exponit Jctus Ulpianus, quatenus arrogator pupillariter arrogato impuberi substituere possit; scilicet, 1<sup>o</sup>. dicit substitutionem valere in iis bonis, quæ arrogator ipse ei dedit; non autem in illis bonis, quæ pupillus haberet, etiamsi arrogatus non fuisset; de iis enim bonis impuberem arrogaturus personæ publicæ cavere debet, se, si intra pubertatem pupillus



decesserit, ea restitutum esse illis, qui, si adoptio facta non esset, ad successionem ejus venturi essent. §. 3. *F. L. 18. & 19. ff. de adopt.* 2°. probat sententiam Scevolæ putantis, etiam patri arrogatori licere impuberi substituere in quarta Divi Pii, uti se etiam putare idem inquit noster Ulpianus in *L. 22. §. 1. ff. eod.* 30. denique addit suam sententiam de iis rebus, quas impubes contemplatione patris arrogatoris, ut puta ab ejus amico, vel cognato accepit; atque etiam in his rebus arrogatori licere putat impuberi dare substitutum hæredem. Optima sane ratione, cavet enim quidem arrogator, se restitutum bona illis, qui, si adoptio facta non esset, ad successionem ejus venturi essent: sed de quibusnam bonis cavet? de illis nimirum, quæ vel pupillus ante arrogationem habuit cum fructibus, & accessionibus, & de iis, quæ post eam sine facto, aut contemplatione arrogatoris, pupillo obvenerint, videlicet ex donatione, aut successione, sive ex testamento, sive ab intestato alicujus ex propinquis, vel amicis patris naturalis; in cæteris autem, quæ arrogatus impubes sive ex re, sive contemplatione arrogatoris acquisivit, pater arrogator exercere potest jus patriæ potestatis; quæ efficit etiam in arrogatione, ut quæcumque paterfamilias filiusfamilias redactus acquirit, hæc tacito jure ad arrogatorem trans-eant. *L. 15. ff. de adopt.* hæc quoque efficit, ut arrogator in  
his



His rebus arrogato pupillariter substituere possit. Datur itaque tanta dissimilitudo hunc inter & nostrum casum, ut ad exemplum trahi non posse videatur.

§. VI. Quæcumque bona parens superstes servare tenetur; cum olim eligere posset unum, vel quosdam ex liberis, quos dignissimos judicaret, ut eos in hisce lucris cæteris anteferret; *L. 3. pr. L. 5. pr. C. de Sec. Nupt.* ea omnia Jure Novellarum æqualiter liberis cedunt. Constituit enim Imperator Justinianus in *N. 2. C. 1.* ut parentibus ad secundas nuptias transeuntibus non amplius liceret, quosdam ex filiis eligere, in quos dotem vel donationem propter nuptias, vel quod ex ea lucrati essent, conferrent, alios autem exhonorare; sed æqualiter inter liberos dividi jussit; & ratio, quam hujus rei tradit, est, *quoniam omnibus simul secundis nuptiis fecit injuriam.* Atque ea, quæ hac Novella de dote & donatione propter nuptias, deinde *N. 22. C. 25.* etiam statuit de omnibus iis bonis, quæ quovis modo ex bonis prædefuncti conjugis superstiti obvenerint; ibique eandem æquitatis rationem reddit.

§. VII. Hoc remedium liberorum causa introductum esse supra jam animadverti: de his igitur quædam differenda sunt. Secundas nuptias non tantam dici, quæ secundo loco sunt contractæ; sed etiam tertias, imo & quartas, vel ulteriores secun-



Has nuptias vocari, respectu liberorum ex proxime præcedenti  
 matrimonio natorum, patet ex Cap. 1. §. 4. ante omnia itaque  
 sciendum est, bona, quæ conjux superstes liberis servare tenetur,  
 non promiscue omnibus ex prioribus nuptiis susceptis liberis esse  
 applicanda; sed unamquamque sobolem proprii sui parentis præ-  
 defuncti bona propter superstitis parentis iteratas nuptias per-  
 cipere debere. Finge igitur parentem superstitem ex primis  
 nuptiis liberos suscepisse, secundasque post primas solutas con-  
 traxisse: hoc casu illis prioris matrimonii liberis conservabit ea,  
 quæ ex facultatibus prædefuncti prioris conjugis perceperit: sed  
 finge hunc parentem superstitem postea, ex hoc secundo toro  
 quoque liberis susceptis, eoque iterum soluto, ad tertias nuptias  
 pervenisse; tunc non ea, quæ a secundo isto prædefuncto con-  
 juge lucratus est, servabit communibus liberis tam primi, quam  
 secundi tori, sed soli liberi secundi, exclusis fratribus sororibus-  
 ve primi matrimonii, proprietatem eorum lucrorum consequen-  
 tur. Atque hoc præterquam ex denominatione secundarum nu-  
 ptiarum, etiam per consequens patere mihi videtur ex *L. 4. C.  
 de Sec. Nupt. & N. 22. C. 29.* quo utroque loco dicunt Impe-  
 ratores, se, quod ad lucrum nuptiale attinet, nolle, ut prodesset  
 liberis prioris matrimonii, quod parens superstes tertias non con-  
 traxerit nuptias. Etenim in cæteris lucris, quæ superstiti alio



titulo ex bonis secundi istius conjugis obvenerunt, liberis prioris matrimonii certe prodest, quod parens superstes non tertias contraxerit nuptias; quoniam, si intestatus decesserit hic parens, illi liberi pro sua parte etiam ea lucra, si non alienata exstant, acquirere possunt, uti supra præced. Cap. §. 4. vidimus: unde, quum hoc liberis prodesse dicatur, profuit in contrario casu, si nempe parens ad tertias nuptias transferit, hoc ipsis non profuturum; quippe quum ea lucra solis secundi tori liberis sint servanda.

§. VIII. Liberis itaque cujusque tori parentis sui præmortui bona, quæ superstiti parenti obvenerant, sunt servanda; atque ea lucra cedunt liberis, sive sub patria potestate, sive emancipati, vel sui juris sint. vid. N. 22. C. 23. neque interest, utrum parenti præmortuo hæredes exstiterint; an vero legato dato contenti ipsius hæreditati renunciaverint, vel abstinuerint: nam hæc bona liberi non percipiunt tamquam jure hæreditario; sed ex postfacto demum legis beneficio: & neque aditio, neque repudiatio hæreditatis quidquam impedit, quo minus liberis hæc lucra sint servanda, ne quod in liberorum favorem est introductum, quibusdam in casibus ad læsionem eorum videatur inventum, uti inquit Imp. in L. 5. §. 1. C. de Sec. Nupt. add. CUJAC. ad hanc legem. Sed Imperatores tamen ibi addunt requiri, ut posterius morientis parentis hæreditatem adierint: sed hoc Justinianus muta-



vit postea in *N. 22. C. 26. §. 1.* ubi constituit nihil interesse, utrum & huic parenti hæredes existant, nec ne. Vid. *Auth. hæres. inserta d. L. 5. C. de Sec. Nupt.* dummodo tamen non fuerint ob justam ingratitude causam a successione parentum exclusi: quæ ingratitude ipsis nocebit, non tantum si erga utrumque parentem, sed etiam si erga posterius morientem ingrati fuisse probabuntur. Vid. omnino *d. N. 1. l.*

§. VIII. Atque hætenus quidem in genere de liberis superstitibus vidimus; sed locus hic quoque videtur opportunus differendi de casu, si uni vel pluribus ex iis liberis, quibus hæc bona servabantur, ante superstitem parentem præmori contigerit. Ut itaque hac in causa rite procedamus, distinguendum est, utrum *præmortuus filius vel filia liberos reliquerit*, an vero *sine liberis decesserit*. Priori casu, si nempe liberos reliquerit; portionem, quæ ex his bonis ipsi præmortuo competebat, transmittet ad suos liberos, imo & ad nepotes, ideoque nepotes vel pronepotes superstitis parentis eadem lucra liberis reservantis: qui nepotes tamen non cum patris vel avunculis, amitis vel materteris suis succedent in capita, sed in stirpes; ita ut tantummodo, quantum parenti suo præmortuo debebatur, accipere possint: neque interest, utrum filius vel filia decesserit, antequam parens superstes secundas nuptias contraxerit, an vero postquam jam tædas iteraverit. vid. omnino



omnino *L. 7. & L. 8. pr. C. de Sec. Nupt. N. 22. C. 25. & C. 26. §. 1.* Animadverti hæc lucra filiam vel filiam pro sua parte ad suos liberos transmittere, etiamsi decesserit *ante secundas parentis superstitis nuptias.* Quod mirum est; nam res quidem expedita est, si post secundas parentis nuptias decesserit filius, vel filia, quia jam eo tempore in ista bona sibi jus quæsierat, ideoque hoc jus suum ad liberos suos transmittere poterat, neque juris accrescendi occasionem reliquis suis fratribus reliquerat; portione enim semel acquisita, cessat jus accrescendi: Si autem demum post mortem unius ex liberis parens ad secundas venerit nuptias, isti præmortuo nondum jus in hæc lucra quæsitum erat, quare itaque non potius ejus portio accrescit fratribus fororibusve superstitis? Juxta Regulam Juris: *nemo plus juris in alium transferre potest, quam ipse habet.* sec.) *Ulpianum §Ctum in L. 54. & Paulum §Ctum in L. 120. ff. de R. J.* Sed Imperatores Zeno & Justinianus maluerunt liberis præmortui filii, vel filia, sicuti in hæreditatibus concedere jus repræsentationis; ita ut intrent in locum parentis sui prædefuncti, & licet remotiores sint, tamen simul cum proximioribus invitentur, & vocentur in stirpem; id est, tantam partem ferant, quantam parens ipsorum, si vixisset, tulisset. vid. *all. L. L. C. de Sec. Nupt. & d. N. l. l.* Neque hæc, quæ protuli, sive aliquis ex liberis præmoritur ante, sive post secun-



das nuptias parentis, tantum locum habent circa nepotes, si ipsorum defuncto parenti supersunt fratres, sororesve; sed etiam si neque fratres, neque sorores defunctus reliquerit superstites: etenim, etiamsi parens binibus unicum tantum habeat filium, cui præmori contigerit, liberis relictis, tamen hæc lucra non ad istum superstitem avum, vel aviam revertentur, sed nepotes jus, quod parens ipsorum in ea lucra habuit, vel habere potuisset, consequentur. vid. *d. L. 8. pr. C. de Sec. Nupt.* Hic tamen quoque non omittendum est, quod Imperator Zeno in *L. 7. C. de Sec. Nupt.* addit; si præmortuo isti prædefuncto plures liberi supersunt, ipsum ex his unum eligere posse, in quem omnem suam partem transferri velit: hanc enim electionem tali filio Justinianus non ademisse videtur Novellis suis constitutionibus. vid. *CUJAC. ad N. 2. p. m. 536. & SCIP. GENTIL. de Sec. Nupt. C. 13.*

§. X. At nunc videamus, quid posteriori casu, si nempe præmortuus filius liberos non reliquerit, statuendum sit? scilicet si ante parentis nuptias ipsi mori contigerit, fratres ejus, vel sorores in ejus portionem tamquam nondum acquisitam admittentur jure accrescendi, quod patet ex *L. 8. pr. C. de Sec. Nupt.* ubi Imperator in casu, si filius ante nuptias parentis decesserit, liberosque reliquerit, dicit: hunc defunctum suam portionem ad suos liberos transmittere, non autem ad fratres aut sorores, aut



*his non existentibus, neque ad parentem: ex quibus proinde verbis consequens videtur, fratres sororesve defuncti in hoc lucro parenti præferri: sive enim intestatus decesserit, sive testatus sit præmortuus filius vel filia, hoc jus sibi nondum acquisitum transmittere non potest ad successores, præterquam ad suos hæredes, id est liberos suos, ideoque neque pro parte ad parentem; quia hac in causa vigere videtur Regula Juris modo ante laudata ex L. 54. § 120. ff. de R. J.*

§. XI. Si autem post nuptias jam a parente iteratas diem supremum obierit, aliud quid observandum est, & pro diversitate casus existentis quoque diversum jus est: nam ante omnia iterum distinguendum est: scil. *utrum filius intestatus, an vero testatus decesserit.* Si intestatus præmortuus est, in hanc ejus partem cum fratribus sororibusve succedit quidem superstes parens, sicut in reliqua ipsius bona adventitia sec. N. 118. C. 2. Sed non in universum, & indistincte; nam 1º. non idem juris est *in lucro nuptiali,* ac *in aliis rebus a prædefuncto parente ad superstitem devolutis,* & in hoc posteriori lucro 2º. aliud quid observandum est *in matre superstite binuba,* atque *in patre binubo.* Quod ad lucrum nuptiale attinget, etiam si parens hoc inter alia prædefuncti filii vel filia: bona jure hæreditario recepisse videatur, propter secundas nuptias tamen liberis suis, defuncti proinde fratribus sororibusve servare



tenetur quoad proprietatem, ita ut & hujus partis solum usumfructum sibi retineat. Atque idem hoc in patre, ac in matre superstite obtinere existimo. vid. *N. 2. C. 2. §. 1. & C. 3. in fin. pr. & §. 1. N. 22. C. 46. §. 2. in fin. & §. 3. in init.* Sed ad alias res a prædefuncto parente ad superstitem profectas quod attinet: si pater superstes est, has ille filio vel filiæ succedens pleno jure tam quoad proprietatem, quam quoad usumfructum jure hæreditario pro sua portione percipere videtur. *sec. N. 2. C. 3. pr. versu: sicut enim patres.* Si vero mater filio vel filiæ supervixerit, cum eadem ipsi succedens propter secundas nuptias in genere omnes res profectas, id est quæ a patre ad defunctum profecta essent, cæteris liberis reservare teneatur; ita ipsa quoque has res, quippe quæ a patre profecta sint, liberis ejusdem tori superstilibus reservare debet, solumque usumfructum earum sibi retinet. vid. *L. 3. C. de Sec. Nupt. & L. 5. C. ad Sctum Tertyll. Funct. N. 22. C. 46. §. 2.*

§. XII. Nunc quid statuendum sit, si testatus fuerit filius vel filia, qui quæve ante parentem binubum ejus vita decesserit; quæ est altera pars distinctionis primo loco §. præc. adhibitæ; videamus. Imperator Justinianus in *N. 22. C. 26. paulo post med. pr.* inquit: *hoc maxime accidere in matre, quem locum CUJACIUS ad N. cit. p. m. 576. vocat obscurum, eundemque sic explicat:*

„ Ut scilicet matre superstite filii quasi sui juris, nec subjecti potes-

tate



„ tate matris testamento sibi extraneum hæredem instituant, nam pa-  
 „ tre superstite in cujus sunt potestate non possunt, ne de iis quidem  
 „ bonis, quæ patri non acquiruntur, facere testamentum. L. ult. §.  
 „ 5. C. de bon. quæ lib. L. 50. ff. ad Sctum Treb.” & recte in ge-  
 nere ita de liberis asseritur, sed possunt tamen aliquando testa-  
 mentum sibi condere, licet pater superstes sit; tunc scilicet, si  
 a patre fuerint emancipati, id est a filiis familias patres familias  
 facti, & ideo Imperator in *d. N. l. l.* non dicit: quod *semper*, vel  
*non nisi* in matre accidit, sed: quod *maxime* id est *plerumque*.

Quum igitur plerumque, matre demum superstite, filiis sibi  
 testamentum condere liceat, de tali potius casu jus constitutum  
 exponemus, unde quidem, si filius vel filia superstite patre legi-  
 time sibi testamentum condiderit, quid Juris sit, elici poterit; cum  
 hoc saltem certum est, patris hæc in causa conditionem non pe-  
 jorem esse quam matris. Si itaque filius vel filia legitime testatus  
 fuerit, & matrem hæredem instituerit, sive in solidum, sive pro  
 parte cum fratribus, omne quod jure hæreditario mater perceperit,  
 tam quoad proprietatem, quam quoad usumfructum sibi retinebit.  
 vid. *N. 22. C. 46. §. 1.* Observandum tamen & hic rursus usu ve-  
 nire distinctionem inter lucrum nuptiale, & alias res lucratas:  
 ea igitur, quæ modo protuli, locum tantum habent circa eas res,  
 quæ sunt extra donationem propter nuptias; hanc enim, etiamsi



mater ex testamento succedat, liberis reservare tenetur, quoad proprietatem; ita ut tantummodo retineat ejus partis, quæ defuncto filio, vel filiaë competebat, usumfructum. vid. *N. 2. C. 3. & N. 22. C. 46. §. pen. Funct. C. 26. in med. pr.*

§. XIII. Sed finge cum matre, vel fratribus præmortuum filium, vel filiam quoque extraneum instituisse hæredem; an etiam ad hunc pro ea parte, qua extraneus ille institutus est, illud lucrum, quod mater liberis reservabat, in quod proinde defunctus jam sibi pro sua portione jus acquisiverat, transmissurus est? ad hæc ut respondeam, sciendum est, hujus rei persequendæ conditionem interim in suspenso esse, donec sive omnes liberi ante parentem, sive parens ante liberos diem supremum obierint; & ideo demum, eventu inspecto, hæc dere judicari posse existimo. Si itaque defuncto supersunt fratres sororesve, quibus contigit matri supervixisse, statuendum videtur, certe extraneum istum a præmortuo filio hæredem institutum admittendum esse etiam ad hæc bona pro ea parte, qua institutus fuerit: & in hunc casum restringendæ videntur leges, in quibus de filiorum extraneis successoribus fit mentio; quales occurrunt in *N. 22. C. 24. §. 26. pr. & alibi.* etenim si omnes liberi ante parentem e vita decesserint, nulla ex se relicta prole, ideoque ad orbitatem causa redacta, omne lucrum, quod parens liberis antea servabat, ad eum re-  
verti.



vertitur; quippe quum hoc jus liberorum gratia introductum, liberis non exstantibus, aut anteparentem e vita decedentibus, cesset. vid. *L. 3. §. 1. in fin. C. de Sec. Nupt.* unde profluit hoc in posteriori casu, neque extraneum hæredem institutum quidquam ex his lucris acquirere posse. add. SANDE *Dec. Frisc. Lib. 2. Tit. 3. def. 1.* VOET *ad Tit. ff. de Rit. Nupt. §. 106.*

§. XIII. Cæterum quocumque casu parens superstes dotem, aut donationem propter nuptias, si uni ex liberis nulla relicta sobole mori contigerit, servare tenetur sive liberis suis superstitionibus, sive in casu, quem vidimus, extraneis testamento prædefuncti filii hæredibus institutis, semper ex illo lucro nuptiali tantum pro rato sibi deducet, quantum cum prædefuncto conjuge in casum ἀναδίας, sive orbitatis seu mortis liberorum pactus fuerit. Qua de re vid. *N. 2. C. 2. N. 22. C. 26. pr. & N. 68.* atque in all. *N. 2. l. l.* dicit Imperator Justinianus se hoc jam antea introduxisse expressa constitutione, quam constitutionem CUJACIUS ad *d. N. p. m. 536.* perhibet esse *Legem 14. C. de Sec. Nupt.* quæ lex in illo titulo desideraretur, nisi eandem a CUJACIO ex Basilicis latine editam ibi CHARONDAS restituisset, ordine hodie *11 am.* add. CUJAC. *l. l. & ad N. 22. p. m. 576.* & SCIP. GENTIL. *de Sec. Nupt. C. 13.*

§. XV. Animadverti jam supra h. Cap. §. 1. hæc bona lucrata

quoad



quoad proprietatem esse servanda, atque parenti ab ipsa lege horum lucrorum usumfructum esse datum in diem vitæ. *sec. L. 3. L. 5. C. de Sec. Nupt.* Sed quia parentes hac in causa differunt quodammodo a cæteris usufructuariis; *quomodo uti frui debeant*, hoc loco ostendam; atque cum iterum *circa matrem* jus quoddam speciale, & diversum ab eo *circa patrem* traditum invenimus; de singulis separatim agam. Primum itaque quid Juris sit *de patre*, videamus. In *L. 5. pr. C. de Sec. Nupt.* patri specialiter datur jus hæc bona administrandi: quod maxime congruum est patriæ potestati; pater enim est legitimus administrator omnium bonorum liberorum, quæ ex matris successione sive ex testamento, sive ab intestato ad filios sunt devoluta. *L. 1. §. passim C. de bon. matern.* Sed his rebus tamen uti frui debet boni viri arbitratu; in hac causa similis est cæteris usufructuariis, quorum officium est *uti frui boni viri arbitratu*, hoc est, *causam ususfructus non facere deteriore, cæteraque facere, quæ in re sua facerent.* *L. 1. §. 3. ff. Usufr. quem adm. cav.* His vero præterea onus incumbit hac de re cavendi idoneis datis fidejussoribus. *L. 13. pr. de Usufr. Junct. L. 1. ff. de Satisd.* & hujus tanta est necessitas, ut ne a testatore quidem cautio usufructuaria remitti possit. *L. 1. C. de Usufr.* hac in re tamen pater ab aliis differt, ille non satisdat liberis; cautio enim inter filium & patrem, observata potestate patria, interponi non potest.

*sec.*



sec. L. 50. ff. ad *Sctum Trebell.* & hinc etiam est, quod ab Edicto Prætoris de stipulatione fructuaria, & ratiociniis excipiendus sit pater propter verecundiam paternam. vid. omnino L. ult. §. 4. in fin. C. de bon. quæ lib. Cultui enim, qui patri debetur tale quid non esset congruum; quippe quod quodammodo sit contumeliosum. L. 17. §. ult. de Test. tut. L. 33. §. 3. C. de Episc. & cler. neque in patre ulla distinctio adhibetur, utrum res omnes sint mobiles, an immobiles, qua in re quoque a matre differt, de qua quid juris constitutum sit, jam dicendi locus est: verum, cum hic non eadem ratio sit rerum immobilium, & mobilium, in quibus prædicta bona consistunt, speciatim de illis dispiciendum erit.

§. XVI. Quod attinet ad *res immobiles*, quales dicuntur ædes, aut fundi, aut villæ, quæque iis inhærescunt, binubæ matri datas aut relictas, sicuti pater, differt quoque a cæteris usufructuariis in eo, quod libera sit & immunis a cautione fructuaria. L. 6. §. 1. C. de Sec. Nupt. N. 2. C. 4. N. 22. C. 45. §. 1. Sub rebus immobilibus in d. L. 6. §. 1. quoque connumerantur *mancipia*, & *annonæ civiles*. Sed per *mancipia* non cujusvis generis intelliguntur servi, sed *adscriptitii* tantum, quales sunt qui terris, seu glebæ terræ sunt adscripti, & quasi affixi, uti patet ex L. 14. C. de S. S. Eccles. Hi propterea a JULIANO Antecessore in N. 7. vocantur *membra fundorum*. *Annonæ civiles* sunt panes civiles, qui in



dies erogantur, quibus competunt, de publico, qui & vocabantur panes gradiles. vid. *Tit. C. Theod. de ann. civ. & pan. gradil.* quia certis diebus a pistoribus conductoribus distribuebantur, non ex officinis suis, sed ex gradibus quibusdam locis in urbe regia hanc in rem ædificatis: unde versiculus ille PRUDENTII contra Symmachum:

*Et quem panis alit gradibus dispensus ab altis.*

Hæ annonæ civiles ideo rebus immobilibus annumerantur, quia ædibus potius debebantur, quam personis; quippe quæ in quemcumque possessorem talium ædium transferrentur. *L. 1. 11. 12. & 13. C. Theod. de ann. civ. & pan. grad.* vid. *CUJAC. ad. L. 6. §. 1. C. de Sec. Nupt. & Observ. Lib. 26. C. 17.* de his annonis civilibus pluribus egerunt *ALCIA F. Lib. 8. parerg C. 5. LIPS. Elect. Lib. 1. C. 8. & PANCIROLL. in Comm. ad Notit. Imp. Rom. C. 57.* Inter res immobiles quoque eodem jure recensentur redditus annui in *L. ult. §. 2. C. de Jur. dot.* in his tamen requiritur, ut sint perpetui, vel longævi, ita ut ad minimum sint decennales. vid. *SCIP. GENTIL. de Sec. Nupt. C. 11.*

§. XVII. Cæterum ratione harum omnium mater similis est cæteris usufructuariis in eo, quod ipsi quoque injungatur, ut boni viri arbitrato iis utatur fruatur, & præterea proprietatem, id est res ipsas liberis conservet, & non alienet, neque oppignoret.

De



De rebus ipsis hæc animadverto; usufructum enim suum quidem alienare, obligare, & locare potest, ut alii usufructuarii. *L. 12. §. 2. ff. de Usufr. L. 11. §. 2. ff. de pign.* Sed alienatus ita usufructus, quum nemo in aliam plus juris, quam ipse habet, transferre possit: durat tantum, quam diu vivit mater fructuaria; post ejus mortem redit ad liberos dominos & proprietarios, & consolidatur cum proprietate, uti est natura omnis usufructus. *§. 3. ff. de Usufr.* Ratio autem cur mater de rebus immobilibus non teneatur cautionem præstare, consistit in eo, quod immobilia, & quæ immobilibus adhærescant, non facile interverti, & dissipari possunt; & ideo eorum possessio longe est tutior, quam immobilium: quorsum respexisse videtur HORATIUS *Lib. 1. Ep. 15. vers. 45.* dum canit:

*Vos sapere & solos ajo bene vivere, quorum  
Conspicitur nitidis fundata pecunia villis.*

Hæc itaque de immobilibus dicta sufficiant.

§. XVIII. Si donatio propter nuptias, aut alia lucra mulieri acquisita in rebus mobilibus consistant; quoniam facile interverti, & interire possunt; quippe quum omnium vel saltem plerarumque harum usus in abusu fere consistat; de his aliud quid Juris circa matrem constitutum invenimus in *L. 6. §. 1. C. de Sec. Nupt.* scilicet hæc res æstimandæ sunt justis pretiis, id est juxta valorem



earum, sicuti communiter valent; ratione tamen habita temporum, ac locorum. *L. 63. ff. ad Leg. Falcid.* interposito jurejurando, per arbitros ab utraque parte eligendos a matre, & a liberis: quo facto mater cautionem præstare tenetur, & hanc nequidem simplicem, sed datis idoneis fidejussoribus, de restituendo finito usufructu, id est post mortem suam, vel res ipsas, vel earum æstimationem, sive pretium, quo res unaquæque æstimata est, filiis vel filiabus ex eodem matrimonio procreatis; vel, si uni ex his aut omnibus præmori contigerit, nepotibus neptibusve ex his progenitis. [Sed in illa *L. 6. §. 1.* occurrunt verba: *secundum legum modum*: vel ut inferius: *secundum legum moderationem*: quæ verba adjecta videntur a Triboniano. vid. CUJAC. *ad N. 2. p. m.* 538. propter *L. ult. C. de Sec. Nupt.* atque ideo eadem significant: quod si unus vel plures ex his liberis decesserint, nulla ex se relicta prole, matri ex lucro nuptiali tantum pro rato deducere liceret, quantum in casum orbitatis, seu mortis liberorum pacta esset. *conf. h. Cap. §. 14.* Hanc cautionem mater præstare debet, si liberi eandem petierint; nam omnium fere satisfactionum talis est conditio, ut non necesse sit præstari, nisi petantur; sufficit, si mater parata sit. vid. *L. 2. §. 1. ff. quod Legat. L. 1. §. 1. ff. ut in poss. Legat.*

§. XIX. Sed cum liberi eandem cautionem petierint, & ma-



ter vel distulerit, vel satisfacere nequiverit; si res matri nondum a liberis sunt traditæ, apud eosdem remanebunt; si mater eas detinet, liberis restituere tenebitur: atque tum liberos idoneis fidejussoribus cavere oportet, se usufructus loco quotannis matri soluturos esse usurarum nomine centesimæ partem tertiam ejus pretii, quo res æstimatæ fuerint, id est quatuor aureos in centenos: nam centesima usura dicebatur, quæ centesimo mense sortem adæquat: quia in singulos menses usuras stipulari solebant Romani; unde liber, quo continebantur nomina debitorum, vocabatur *Calendarium*. L. 39. §. 14. ff. de admin. Tut. Patet itaque, si quovis mense debetur tertia pars centesimæ, has duodecim partes tertias usuræ centesimæ anno efficere summam quatuor aureorum. Præterea cavere quoque debent, si forte prius quam mater omnes e vita decesserint, nullis liberis relictis, vel si & illis præmori contigerit, se res illas, vel earum pretia matri esse restitutos, ut ad eandem luctuosum lucrum redeat. Atque iterum occurrunt verba secundum legum moderationem: Scilicet ut si uni vel pluribus ex iis præmori contigerit, nulla prole relicta, tantum pro rato ad matrem revertatur, quantum in casu *ἀπαίδας* lucretur. conf. h. Cap. §. 14. Per hanc rerum æstimationem, & præstitam cautionem contrahitur emptio venditio; sicuti fit in rebus æstimatis in dotem datis marito. vid. L. 10. §. 4. & seqq. ff. de jure dot. Atque mater quasi



emtrix, vel liberi evadunt quasi emtores harum rerum, ideoque tenentur ad pretium earum solvendum: neque tamen simpliciter, sed alternative, & sub electione, scil. quod vel res ipsæ sint restitueudæ, vel pretia earum, quibus æstimatæ sunt: hinc est quod utrique parti, tam matri, quam liberis licitum sit has res donare, vendere, oppignorare, & quomodocumque voluerint alienare. *Sec. d. L. 6. §. 1. C. de Sec. Nupt.*

§. XX. Si autem utraque pars, mater, & liberi satisdare dissimulaverint, aut non potuerint, eo in casu in earum rerum possessione præferretur mater liberis, eodem modo uti fit, si utraque pars satisdare parata est. *d. L. 6. §. 1. C. de Sec. Nupt.*

Sed §o. præc. vidimus, si mater distulerit cautionem præstare, liberos teneri ipsi satisdare: & hoc loco, si utraque pars satisdare dissimulaverit, matrem præferri in possessione harum rerum: hac in causa igitur mater rursus differt ab aliis usufructuariis, quibus non licet uti frui, antequam, cum possent, satisdederint. *arg. L. 13. ff. de Usufr. vid. VOET. ad Tit. ff. Usufr. quemadm. cav. §. 3.*

§. XXI. Atque hæc ita ab Imperatoribus Leone & Anthemio in *d. L. 6. §. 1. C. de Sec. Nupt.* in genere de omnibus bonis mulieri acquisitis constituta sunt: sed quod ad donationem propter nuptias attinet, talem Justinianus in *N. 2. C. 4. §. N. 22. C. 45.* rei præscripsit ordinem modumque: Ut de rebus immobilibus constitutioni



tioni Leonis in *d. L. 6.* locus foret: atque si donatio propter nuptias consistit in auro, argento, & parata pecunia quoque *Sec. d. L.* matri jus esset eligendi, utrum pecuniam accipere vellet, & fatisdare, an vero accipere prædictas usuras: sed si in eadem non reperitur præfens pecunia, ut tum mater illam electionem non haberet, sed necessario usuris trientibus deberet esse contenta. add. CUJAC. *ad d. N. 2. p. m.* 538! & SCIP. GENTIL. *de Sec. Nupt. C. 12.*

§. XXII. Quibus modis parentes a cæteris usufructuariis, & hi iterum inter se differant, planum fecisse videor; quoniam tamen adhuc ulterius tam ratione patris, quam matris liberis prospectum est, nonnulla de his dicenda supersunt. Patrem propter patriam potestatem, & paternam verecundiam, a cautione fructuaria, & rationibus reddendis immunem esse; neque matrem de rebus immobilibus fatisdare teneri, quin & illam rebus mobilibus uti frui posse, etiamsi cautionem non præstitisset, si scilicet neutra pars, neque mater, neque liberi, fidejussionem obtulerit, ex modo dictis apparuit: ne itaque hinc aliquando liberi damnum sperare possent, hanc in rem providerunt Legislatores: etenim, si quædam a superflite parente ex his bonis alienata fuerint, liberis facultatem dederunt ea bona vindicandi a quocumque possessore. *L. 5. pr. C. de Sec. Nupt.* neque aliter hinc sunt excludendi,

nisi



nisi eo demum casu, quo forte possessorem defendat præscriptio  
30 annorum: quæ tamen demum currere incipit adversus liberos  
ex eo tempore, quo sui juris effecti sunt. vid. N. 22. C. 24. add.  
L. 4. §. ult. C. de bon. quæ lib. & L. 1. §. ult. C. de ann. except.

§. XXIII. Sed præterea nequidem vindicandi facultate con-  
cessa liberi Imperatoribus ab omni damno satis securi visi sunt,  
quapropter, ut bona magis adhuc in tuto collocentur, ipsis  
dederunt etiam *tacitam hypothecam* in omnibus bonis parentis su-  
perstitis. vid. L. 6. §. 2. L. 8. §. ult. C. de Sec. Nupt. de qua hy-  
potheca paucis videamus.

Hypotheca ea est legitima, lex enim bona parentis tacite libe-  
ris obligat, quales hypothecæ etiam in aliis causis constitutæ  
reperiuntur; veluti pupillo, vel minori in bonis tutoris vel cura-  
toris. L. 20. C. de admin. Tut. similia exempla videri possunt ap.  
J.O. WESTENB. in princ. suis ad Tit. ff. in quib. caus. pign. vel hyp.  
tac. contrah. eandem Imperatores Leo & Anthemius liberis tantum-  
modo concesserant ratione bonorum matris suæ tædas iterantis in  
L. 6. §. 1. C. de Sec. Nupt. Sed postea Justinianus in bonis quoque  
binubi patris liberos talem hypothecam habituros esse constituit  
in L. 8. §. ult. C. eod. Tempus, quo liberi eandem consequuntur,  
cedit statim ex eo die, quo lucra nuptialia, & aliæ res ad patrem  
vel matrem pervenerint. Bona parentis, quæ hypothecæ obli-  
gantur,



gantur, sunt & bona præsentia, seu talia, quæ parens habet eo tempore, quo tædas iterat, vel quo res ad eum pervenerunt; & futura seu talia, quæ deinceps acquisivit. *d. L. 6. §. 2. d. L. 8. §. 4. C. de Sec. Nupt. conf. L. ult. C. quæ res pign. oblig.*

§. XXIII. Hypothecæ hujus utilitas non tantum versatur in eo, quod, uti jam §o. præc. animadverti, bona hac re eo magis in tuto collocentur, ita ut, si parens quædam male administraverit, aut alienaverit, tale damnum ex prædictis parentis bonis sibi resarcire possint liberi: sed etiam maxime in eo, quod liberi præferantur cæteris patris, vel matris creditoribus, qui in bonis eorum postea hypothecam sibi pepererunt. *d. L. 6. §. 2. C. de Sec. Nupt. & præterea quoque actione hypothecaria bona parentis a quocumque possessore possint avocare: talis enim vis est istius actionis. arg. L. 16. §. 3. ff. de pign. Atque certum est res pignori obligatas, deinde per debitorem alienatas, sive mobiles sint, sive immobiles aliter transferri non posse, nisi cum suo onere. vid. L. un. C. rem alien. gerent. L. 15. C. de pign. L. 47. ff. de contrah. emt.*

§. XXV. Cæterum vetuit tamen Justinianus liberos hypothecæ hujus occasione, vel prætextu parentum administrationem perferutari, aut inquietare, vel aliquam illis super eadem movere quæstionem; cum liberis prædictis modis satis esse consultum sibi



persuaderet; & recte, possunt enim uti vidimus suum consequi vel rei vindicatione, vel actione hypothecaria: vid. omnino *L. 8. §. ult. C. de Sec. Nupt. N. 22. C. 24.* Quid igitur si parens hæc bona liberorum male administrat: poteritne ab ea administratione removeri? Sed Resp. quia ne quidem alii usufructuarii ob malum usum usufructum amittunt; sed actioni ex stipulatu vi cautionis sunt obnoxii, vel legis Aquiliæ actioni. arg. *L. 1. §. 4. & 5. ff. Usufr. quemadm. cav. L. 15. §. 2. ff. de Usufr.* Ita neque parens ab ea administratione removendus est, propter *all. L. 8. §. ult. & N. 22. C. 24.* nisi appareat, & aperte demonstrari possit parentem dolo malo bona dissipare, ac dilacerare; quo solo casu ipsi administrationem interdici posse patet ex *L. 50 ff. ad Sc̄tum Trebell.*

§. XXVI. Liberis itaque ab omni parte circa ea bona, quæ a parente suo præmortuo ad superstitem tædasque iterantem devoluta sunt, prospectum esse, ex modo dictis apparet, hisce autem quædam addenda esse videntur, ut ostendam, quid Juris sit de alienatione a parente facta respectu extraneorum, in quos res alienatæ translatae sunt. Sciendum igitur est, si parens forte ante secundas nuptias ex lucris a præmortuo conjuge ad se profectis quædam alienaverit, supervenientibus sane secundis nuptiis interim in suspenso esse, utrum ea alienatio valitura, an vero irrita evasura sit; quippe qua de re non magis, nisi eventu inspecto

judicari



judicari possit, quam de portione filii prædefuncti in extraneum hæredem transmittenda, de quo egi sup. *h. Cap. §. 13.* Nam si omnes liberi prioris matrimonii ante parentem e vita decesserint nulla ex se relicta prole, quoniam liberis non exstantibus, in quorum gratiam hic favor introductus est, huic remedio locus non est; alienatio erit valida, neque revocari poterit; eodem modo sicuti venditor alienæ rei domino istius rei venditæ hæres postea existens jure hæreditario ab emtore eam rem vindicare non potest, id est adversus factum suum controversiam movere nequit. Si autem uni aut pluribus liberis nulla relicta prole mori contigerit, vidimus supra parenti licere tantum deducere ex nuptiali lucro pro rato, quantum in casum *ἀπαυδίας* lucrari pactus esset; ideoque etiam pro ea parte alienatio erit valida: quin & hoc in casu aliarum rerum alienatio valida erit pro ea parte, qua parens liberis præmortuis hæres existiterit, propter rationem modo ante adlatam. Sed si omnes liberi parenti supervixerint, alienatio plane erit irrita, & iis modis quibus vidimus res alienatas a possessore avocare poterunt. vid. omnino *L. ult. C. de Sec. Nupt. N. 2. C. 2. N. 22. C. 26.*

§. XXVII. Sed nonne tamen alienatio harum rerum a parente binubo facta valida evadet, si liberi prioris matrimonii huic superstiti parenti hæredes existiterint? Sane pro ea parte, qua ipsi hæredes



hæredes sunt, alienatio effectum sortiri videtur: etenim certi Juris est hæredes pro ea parte, qua hæredes sunt, de rebus alienis per defunctum alienatis obligari, ita ut, etiamsi defunctus rem hæredis vendidisset, is, si hæreditatem adit, factum defuncti teneatur probare; unde consequens est, ut si liberi hæredes existentes talem rem a parente binubo v. g. venditam vindicare vellent, certe exceptione rei venditæ & traditæ repelli possent, sicut quilibet alius hæres. vid. *L. 1. §. 1. ff. de except. rei vend.* add. omnino *L. 14. C. de rei vind.* Secundum quam legem, uti jam animadverti alienatio tantum est valida pro ea parte, qua liberi hæredes sunt: nam si vel ex partibus inæqualibus hæredes sunt, vel cum liberis, quibus hæc lucra servanda fuissent, extranei, vel liberi alterius tori instituti inveniuntur, hi liberi, a quorum parente præmortuo hæc bona profecta sunt, ea possunt a tertio possessore avocare, vel sibi damnum ex aliis bonis parentis posterius defuncti resarcire eatenus, quatenus excedit suam portionem: finge itaque prioris matrimonii duos esse filios, parentemque ex alio matrimonio etiam duos alios suscepisse, hosque quatuor æqualiter instituisse: nihil utique his prioris matrimonii filiis oberit, quominus quartam rei alienatæ partem unusquisque eorum vindicet; dum singuli non pro dimidia, quæ singulis ex re alienata competit, sed tantum pro quarta parte alienanti parenti hæredes existunt. Dictis non obstare videntur,

quæ



quæ supra *h. Cap.* §. 8. differuimus, scil. hæc lucra liberis cedere, siue parenti superstiti hæredes exstiterint, siue hæredinatem repudiaverint: etenim Justinianus ita constituens in *N. 22. C. 26. §. 1.* tantum significare videtur hoc jus liberorum, respectu parentis superstitis, non dependere ab aditione vel repudiatione hæreditatis parentum; sed ea bona *beneficio legis* liberis adjudicari: unde patet ea, quæ ibi tradit, potius respicere obligationem parentum ad hæc bona liberis reservanda, & ipsis non aliter adimenda, nisi eos ingratos fuisse appareat: & præterea, uti vidimus, simul exstare potest casus, ut liberi sint hæredes, & tamen pro parte vindicare possint res a defuncto alienatas; atque ita similiter, sicuti pro parte in casu *ἀπαιδιος* de qua modo §. præc. videbamus; ita quoque hac in causa alienatio pro parte rata, pro parte irrita, eventu inspecto, evasura est.

§. XXVIII. Sed hæctenus quidem differuimus de rebus, quarum tam proprietas, quam usufructus conjugi superstiti a præmortuo conjugè obveniat; ideoque hic mihi non inconueniens videtur locus agendi quoque de eo casu, quo tantum bonorum usufructus superstiti donatus, aut relictus fuerit. Sciendum enim est, cum conjux binubus, quæcumque ex facultatibus prioris conjugis lucrativo titulo acceperat, liberis quoad proprietatem teneretur reservare, hinc sequi, hac in causa talem conjugem vel usumfructum relictum, aut donatum plane amittere,



aut adhuc retinere debere; quoniam certum est servitutem servitutis esse non posse. *L. 1. ff. de Usufr.* hinc enim, quum ususfructus sit servitus, usumfructum ususfructus constitui non posse patet. Sed, ne in idubio versaremur, placuit Imperatoribus Valentiniano, Theodosio, & Arcadio in *L. un. C. si Sec. nups. mul.* circa mulierem constituere, ut eadem talem sibi usumfructum relictum statim ex eo die, quo secundo nupsit marito, filiis restituere teneretur: neque mirum est hoc tantum de muliere ita esse statutum; nam eo tempore liberis nondum ratione patris tædas iterantis prospectum erat; lata enim ea lex est jam anno 392. decem annis post *L. 3. C. de Sec. Nupt.* & ab eodem Valentiniano & Theodosio; quinquaginta duobus circiter annis igitur ante *L. 5. C. eod.* qua demum lege idem etiam ratione patris, quod in matre locum habebat, sancitum est. vid. *h. Cap. §. 2.* Secundum Jus Codicis itaque parens superstes tædas iterans jus utendi fructuendi, & fructus, quos ex bonis fructuariis post diem, quo ad secundas pervenerit nuptias, perceperit, restituere tenetur liberis. vid. *d. L. un. C. si Sec. nups. mul. Funct. N. 22. C. 32.* quo tamen loco Justinianus *d. L. un.* abrogat, & secundas nuptias hoc incommodo solvit: sanxit enim, ut conjux superstes, sive vir sit, sive femina, etiamsi tædas iteret, bonorum usumfructum pure sibi donatum, aut relictum retineat in diem vitæ; & voluit tum demum conjugem superflitem talem usumfructum amissurum esse,



esse, si conjux præmortuus expresse donavisset, aut reliquisset ea sub conditione, *si superstes secundas non foret contracturas nuptias*. Hæc autem constituta sunt de usufructu per largitatem donato, aut testamento relicto; nam, si usufructus rerum in dotem, aut donationem propter nuptias datus esset, & semel inter conjuges pactum intercessisset de lucrando tali rerum usufructu in dotem vel donationem propter nuptias dato, hoc manet firmum, neque a testatore vel testatrice quidquam immutari potest; quippe quum tali casu, licet conjux ad secunda vota migraverit, lege ipsi usufructus datus sit. vid. *d. L. un. in fin. C. si Sec. nups. mul. N. 22. C. 33.*

§. XXIX. Tandem B. L. adhuc restat, ut ostendam, quando hoc beneficium cesset: hac de re itaque paucis videamus.

Jam in antecedentibus plus semel vidimus, hoc liberorum causa esse introductum, eidemque proinde, liberis non exstantibus, vel omnibus ante parentem superstitem e vita deeedentibus locum non esse; hoc enim patet ex *L. 3. §. 1. L. 6. §. 1. fer. in fin. C. de Sec. Nupt. & N. 22. C. 26. pr.* Adeo ut si postremus liberorum extraneum hæredem instituerit in bonis a priore conjuge ad superstitem profectis, quorum proprietas apud filium testatorem erat, illa hæredis institutio nihil juris habitura sit. vid. SANDE *Dec. Frific. Lib. 2. Tit. 3. Def. 1.* Sed præterea cessat quoque, si liberi omnes specialiter ei renunciaverint. arg. *L. pen. C. de pact.*



*L. 41. ff. de minor. L. 69. ff. de R. J.* Non autem cessare videtur, si filia, accepta dote, bonis paternis renunciaverit, quia filia solummodo cogitasse censenda est de bonis jure hæreditario, & successione titulo obventuris; proprietatem autem bonorum, quæ parens superstes servare tenetur, liberis non obvenire jure hæreditario, sed ex beneficio legis, animadverti supra *h. Cap. §. 8.* & ideo renunciatio non debet extendi ad ea, de quibus non est cogitatum, arg. *L. 5. ff. de transact.* Add. VOET. ad *Tit. ff. de Rit. Nupt. 105.* *Et ibi alleg. Interpretes.* Neque etiam cessare existimo, si conjux prædefunctus, vel liberi prioris tori in secundas nuptias superstitis conjugis, vel parentis sui consenserint; præsertim quoniam non possunt, etiamsi maxime vellent nuptias impedire. vid. *L. 50. L. 109. ff. de R. J.* Et denique ne tum quidem cessare puto, si parens ex consensu Principis super eodem dispensantis, ad secunda vota transeat: Jus enim alteri quæsitum, sine facto ejus citra utilitatem & necessitatem publicam auferri non potest, ne quidem a Principe. vid. *L. 3. L. 7. C. de precib. Imp. offer. L. ult. C. si contra jus vel util. publ.*

Sed ne ulterius ordinariæ disputationis terminos excessisse videar, hic esto

F I N I S.

QUÆ.



# QUÆSTIONES

## I.

*Benorum successiones, sive testato, sive ab intestato ordinatæ nullum in Jure Naturæ fundamentum reperiunt.*

## II.

*Recte & eleganter Proculus in L. 7. §. 1. ff. de captiv. & postlim. revers. censet, populum dicendum esse liberum, licet foedere inæquali alteri populo ita junctum, ut ejus majestatem comiter colere teneatur. Nequicquam igitur nostrarum Civitatum diminuit imperium art. 4. pacis inter Carolum II. Angliæ Regem, & O. O. G. G. a. 1674. ex quo nostræ navis bellicæ regis Anglorum navibus reverentiam præstare tenentur.*

## III.

*Capitalium criminum etiam adulterii reis, si accusatorem corruperint, ignoscitur, non etiam accusatori, qui se corrumpi passus est.*

## IIII.

*Criminum vero non capitalium, etiam falsi reis, qui accus. & rem corruperunt, non magis ignoscitur, quam accusatori, qui se corrumpi passus est.*



QUESTIONES

*Procurator universalis non recte dicitur in procuratorem cum libera,  
& sine libera administratione.*

V I.

*Donatio inofficiosa a liberis donatoris revocatur non pro quantitate por-  
tionis legitimæ, sed pro parte ab intestato debita, si donator de-  
cessit intestatus, aut hos liberos exheredavit inique.*

V I I.

*Capitulum certum in testamento non est revocandum, si testator non  
ignorat, non tamen revocatur, nisi si testator non ignorat, nisi si testator non ignorat.*

V I I I.

*Capitulum certum in testamento non est revocandum, si testator non  
ignorat, non tamen revocatur, nisi si testator non ignorat, nisi si testator non ignorat.*

cap. hic alio

v

i

NOB.



NOBILISSIMO ATQUE PRAESTANTISSIMO  
VIRO JUVENI  
HUBERTO ELIZAE VAN MEERTEN,

Amico Integerrimo,

*Cum Actorum ordini rite ac legitime infereretur.*

**T**u mihi, Phoebe,  
Inclyte vates,  
Cum nimis arcto  
Carmina tentem  
Condere plectro,  
Praebe petenti  
Dulce juvamen  
Praesidiumque,  
Tuque Tibulli  
Da, precor, artem  
Virgiliique,  
Diva Minerva;  
Ut mea Musa  
Possit amico  
Suppeditare  
Carmen Amicum;  
Cui bene docta  
Pectora fecit  
Doctus Apollo;

Cui Themis alma,  
Quae scelerosos  
Semper acuto  
Percutit ense,  
Atque nefanda  
Ponderat aequa  
Crimina lance,  
Cui Dea sacra  
Serta merenti  
Laurea defert,  
Ob vigilatum  
Usque laborem;  
Sic malesanam  
Jam tibi prodest,  
Care Sodalis,  
Spernere turbam,  
Palladiisque  
Artibus ultro  
Nocte dieque



Incubuisse;  
Et juvat una  
Gentibus usquam  
Quae superatis  
Roma sequenda  
Iusta reliquit,  
Jam didicisse;  
Atque Quirinis  
Quae placuere  
Jura sacrata;  
Quas quoque nostro  
Belga benignas  
Possidet aevo  
Inclyta leges.  
Est decus ingens  
Eximiumque,  
Quodque parasti  
Arte magistra  
Nobile nomen!  
Plaudite sacri  
Juris amici  
Plaudite lacti,  
Votaque cuncti  
Nunc pia nostris  
Addite votis;  
Plaudite vos jam  
Quae sine caro  
Vivere semper  
Conjuge dira

Fata dedere,  
Vosque parente  
Qui miserandi  
Vivitis orbi,  
Plaudite, vobis  
En datur aptus  
Portus & ara;  
Venit io! adstat  
Semper egenti  
Tuta medela  
Perfugiumque;  
Maeste Sodalis!  
Perge per omnes  
Artibus annos  
Invigilare,  
Fac Themidisque  
Te duce clara  
Floreant aula,  
Fac tibi possis  
Docta sororum  
Conciliare  
Sacra Novenam;  
Sic tibi longos  
Nestoreosque  
Vivere felix  
Det Deus annos,  
Et tua cuncta  
Omne fausto  
Coepta secundet.

A. VAN DOORN.  
J. U. St.



AAN DEN WELEDELEN HEERE

HUIBERT ELIZA VAN MEERTEN,

*Wanneer zyn Wel Edele tot Meester in beide de Rechten  
werdt verheven, op den 2 December 1780.*



Vermag men met den rei van Phoebus lievelingen,  
Offchoon der eed'le kunst, der Dichtkunst ongewoon,  
Uit 's harten waaren grond een blyde Zang te Zingen,  
Ter Eer van Hem, wiens kruin met eenen Lauwerkroon  
Door 't achtbaar Priesterdom, in Themis gulde zaalen,  
Verdienst'lyk wordt gedekt, aan wien het Meesterschap  
Naar eenen letterstryd, ten blyk, dat hy kan praalen  
Gelyk een winnend Held, gegunt wordt, tot een trap,  
Waarlangs hy moedig kan tot hooger aanzien komen;  
Vermag men, tot zyn lof en roem, zyn kundigheid  
Alom vermelden, Hem de mildste Zegenstroomen  
Toewenschen, zo zy U myn Vriend! myn Zanggeweid!

*Inter amicos nil nisi bene*

N. C. VAN CLEEFF.



TER BEVORDERING

VAN DEN WEL EDELEN HEER  
HUIBERT ELIZA VAN MEERTEN,

*Tot Meester in de beide Regten.*

**M**ag ik myn ruuwe schagt by zulk een Phoenix veer,  
En dit eenvoudig rym by gulde blaaren stellen:  
Of durv ik onbeschaamd u volgen in uw eer,  
En my vermetel in den rei der Digt'ren tellen.  
Zoo groet ik u met dit aanzienlyk Meesterschap;  
Terwyl het regt, u door Astreäas hand gegeven,  
Uw wysheid opwaards leid ten hoogsten gloriëtrap,  
Om nuttig voor u zelfs, en and'ren wel te leeven.  
Vooruitzigt mag uw vlyt het Stadsbestuur ten loon,  
Myn wensch uw welvaard in bestendig vergenoegen,  
En Gy, een blyde myrt' u by deez' lauwerkroon  
Voorspellen, zal zig gunst en heil by deugden voegen.



SPECIMEN JURIDICUM  
INAUGURALE

Zoo schenkt de vriendschap my een onwaardeerb'ren schat :

Myn Nifus blyft getrouw, en wil myn yver wekken,  
Zyn edel hart, dat zig aan my verbonden had,

Zal my door waare trouw tot dubbel voordeel strekken.

Zoo leev ik met een vriend, en deel in zyn genot,

Zyn arbeid heeft niet meer, dan ik in rust, verkregen ;  
Hy heeft zyn hoogste goed, en aller wenschlykst lot,

En ik uit zyn bezit den aller grootsten zegen :

*Uit Vriendschap*

*altyd dezelve*

COR:



---

## CORRIGENDA

Pag. 4	Lin. 20	eoedem	lege eadem
— 5	— 4	fecundam	— fecundam
— 8	— 7	fervori	— fervori
— 10	— 1	reliquo	— relinquo
— —	— 5	Uut	— Ut
— —	— 13	indagere	— indagare
— 44	— 11	profecta	— profectæ
— —	— 13	profecta	— profectæ

Si qua forte hic illic præter hæc errata occurrant, Erudicum  
Lectorem, ut ea corrigat ipse, obnixè rogo.

---